



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

EXERCITATIO PHILOSOPHICA

DE

26

V R E H O M I N V M
N A S C I T V R O R V M

QVAM

M O D E R A N T E

D N. CHRISTIANO GOTTL. SCHVVARZIO

C O M . P A L . C A E S . E T P R O F . P V B L .

L O N G E C E L E B E R R I M O

P A T R O N O P R A E C E P T O R E I T E M Q V E H O S P I T E

P A R E N T I S L O C O P I E C O L E N D O

A D D . X I X D E C E M B R . A . C I O I C C X X V

P L A C I D A E C O M M I L I T O N V M D I S Q V I S I T I O N I

S V B I I C I T

R E S P O N S V R V S A V C T O R

I O H A N N E S A L B E R T V S S P I E S N O R I M B .

P H I L O S . E T L L . C V L T O R .

A L T O R F I I

T Y P I S I O D . G V I L . K O H L E S I I A C A D . T Y P O G R .

PRAEFATIO.

Ex quo tempore, Bono cum DEO, ad Iurisprudentiae studium animum applicui; nihil prius antiquiusque habui, quam ut, cum ceteris Philosophiae partibus, eam praesertim diligenter excolerem, quae leges naturales, iuraque omnibus omnino gentibus communia, investigat, evolvit, applicat, Iurisprudentiam scilicet Naturalem. Quamvis enim non desint, qui disciplinam istam Iuris Civilis cultoribus parum utilem, et tantum non noxiā, esse contendant: tamen tantum abeſt, ut haec criminatio ulla probabili ratione nitatur; ut potius Ius Naturae ipsum sua se utilitate simul et suavitate efficacissime omnibus commendet. Et profecto, quid, non dicam eruditio, sed utique homine dignius, quid magis possit esse conveniens, quam ut cum ratione agere discat, neque solum naturae instinctum, velut bruta animantia, sequatur? Quid ad decorum vitae societatisque humanae ordinem conservandum magis necessarium, quam sua aliorumque officia, itemque iura, nosse? cum teste Cicerone, Lib. I de Officiis, Cap. 2, nulla vitae pars, neque publicis, neque privatis, neque forensibus, neque domesticis in rebus, neque si tecum agas quid, neque si cum altero contrahas, vacare officio possit. etc. Haec me adeo permoverunt, ut, qualescunque ingenii mei vires, et in studiis Philosophicis profectus, periclitatus, hunc ipsum disciplinae Iuris Naturae cam-

pum ingredorer, sane spatiofissimum, indeque praesens argumentum DE IVRE HOMINVM NASCITVRORVM, tanquam de multis floribus unum, decerperem. Equidem, quod universae morum doctrinae saepius accidit, id vix dubito, quin et huic nostrae Disputationi a non nullis, primo maxime aspectu, obiiciatur: nullis eam nisi idoneis ac certis fundamentis; incongruens esse, de iuribus agere eorum, qui nondum sunt; nosque adeo non tam vera quaedam, quam facta atque cerebrina iura, et suaves ingenii lusus, videri proponere. Sed enim, quemadmodum Philosophiae Morali sua constat ratio, certaque et immota veritas: ita, quid pro tuenda nostra opera afferri debeat, ex ipsa tractatione clarius apparebit. Quam proinde statim aggrediemur, illud adhuc praefati, non omnem exaurire materiam, propositum nobis esse, sed, tanquam in compendio, summa eius ac praecipua saltem capita exhibere. Ceterum ea placet rem persequi methodo, quam Ill. GVNDLINGIVS in tradenda Iurisprudentia Naturali, quae tertiam Eiusdem Viae ad Veritatem partem constituit, secutus est; utpote huic instituto apprime convenientem. Agemus itaque I, DE IVRE NASCITVRORVM IN GENERE; II, DE EODEM IN STATV LIBERTATIS; et III, IN STATV CIVITATIS.

DISSE-

5

DISSE^TRATI^NONIS
DE
IVRE HOMINVM NASCITVRORVM
SECTIO I GENERALIS.

S. I.

Philosophia cum sit scientia rerum, ex ipsis rebus atque earundem *ideis* desumpta; demonstrandi habitum omnino requirit. a) Demonstratio vero, quae per ratiocinia plura, certo ac legitimo ordine inter se connexa, procedit; nisi cognitis et perpenfis singularum propositionum assertis, non intelligi, multoque minus rite potest examinari. Quemadmodum igitur omnis solidae cognitionis fundamentum sunt *ideae*, sive notiones b): ita in quacunque materia accurate pertractanda, a definitionibus ordiendum esse, dudum viri erudit, et recte quidem, censuerunt. Est haec celebris illa *Methodus*, quam dum Mathematici solis sibi vindicare conantur, *Mathematicam* vulgo dici audias; sed rectius, non quidem *Universalem*, ut quibuscum videtur, sed utique *Philosophicam*, appellaveris.

A 3

Omnis

- a) Demonstrationis vocabulum plures admittit significatus, quos enumerat B. Roetenbeccius in *Logica Vet. et Nov. P. II*, qu. 2108, p. 671 et seqq. Nos hic in latissimo illud posuimus sensu, pro quavis argumentatione, ex pluribus ratiociniis, five certis, five probabilibus tantum, composita. Et sane, idem debet esse probandi verosimilia, quam certa demonstrandi modus.
- b) quas Cicero, in *Topicis*, c. V, describit, esse quasdam conformatio-nes *insignitas* et *impressas* in *intelligentia*: quanquam ibi de iis tantum rebus loquatur, quae tangi demonstrative non possunt, cerni tamen animo atque intelligi possunt; uno verbo, de *rebus incorporalibus*, quas vocant IC^U Romani.

Definitiones
omnis accu-
ratae tra-
ditionis
sunt funda-
menta.

Omnis enim, ut concinne ait Cicero, Lib. I de Officiis, Cap. 2, quae a ratione suscipitur de aliqua re, institutio debet a definitione profici: ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur. Sequemur ergo magni Oratoris simul et Philosophi monitum; et quoniam omnis disputatio de Iure Nasciturorum futura est, ante omnia, quid sit *Ius*, qui *nascituri* dicantur, definiemus.

§. II.

*De Homo-
nyme vo-
cabuli Iuris
212.*

Vocabulum *Iuris* esse πολύσημον, et ob hoc valde ambiguum, neminem potest latere, qui vel prima Iurisprudentiae civilis naturalis elementa attigit. Longum foret, et ab instituto nostro alienum, omnes huius vocis significaciones recensere a): de quibus, praesertim iis, quae in legibus Romanis occurruerunt, late agunt Interpretes earum ad *Tit. Inst. et Pand. de Iustitia et Iure*; et, praeter hos, cum aliis, Ericus Mauritus, in *Specimine Dissertationum de Princip. Iur. Publ. Tbingae, 1665. edito, Cap. I ineunte*; itemque Brissonius. Itaque eas tantum hic feliciter placet, quae ad scopum nostrum proprius accedentes, apud ipsos quoque I.N. scriptores passim inveniuntur b). Possunt istae ad duas potissimum classes referri. *Ius* enim sumitur vel pro *lege ipsa*, aut potius legum plurium complexu; vel pro *effectu legum*: sive, quod idem est, pro *iure*,

- a) *Guilielmus van der Muelen*, in eruditissimo *Commentario ad H. Grotii de I. B. et P. Lib. I, cap. I, §. 3*, notat, a non nullis sex et triginta numerari; plurimas tamen a Doctribus saltem fictas atque excogitatas. Mirum ergo non est, tantum momenti aliquos in recta vocis huius explicatione posuisse, ut in Iure universo caecutire eum stuant, qui haec neglexerit, docente Mauritio, loc. cit.
 b) Confer *Grotium*, *Lib. I, Cap. I, §. 3, 4 et 9*; et eius Commentatores: itemque *Pufendorfium*, *Lib. I, Cap. I, §. 20*.

7

iure, vel *constituente*, vel *constituto*. Prior significatio, Latinis scriptoribus valde usitata c), utut maxime naturalis ac propria videatur; propterea quod, auctore Festo, iura a veteribus dicta sint *iussa*: tamen, cum non sit huius loci, nihil nos morari debet. Altera vero, quae in duas alias species dividitur, utique consideratu digna est. Nimirum leges non personas solum afficiunt, sed res quoque et actiones humanas. Vterque effectus *iuris* nomine designatur: adeoque *ius* pro *attributo* tum *personarum*, tum etiam *rerum atque actionum*, usurpari solet. Quo posteriore loco nihil aliud, quam *quod iustum est*, significat, sive id *iustum sit in aiente sensu*, h. e. praeceptum; sive *in sensu negante*, i. e. legem non prohibitum. Sic in LL. XII. Tabularum erat: *Patrifamilias uti super familia pecuniae sua legasset*; ita IV s. *ebo*; citante Auctore ad *Herennium*, Lib. I, cap. 13. conf. pr. *Inst. de Lege Falcid.* Ita de *Iure Belli et Pacis*, de *Iure Victoriae*, aliisque, disceptatur. Huc etiam pertinet ICtorum *Ius Rerum* et *Ius Actionum*. Frequentior tamen est ea notio, in qua de ipsis hominibus praedicatur. Atque haec eandem, quoniam instituto nostro una omnium maxime convenit, nunc etiam sigillatim curatius explicabimus.

§. III.

Ius igitur, de quo in sequentibus nobis sermo erit, non denotat *statum*, aut conditionem hominum, secundum quam certis quibusdam officiis invicem teneri, certisque iuribus frui, censentur; quo sensu accipi-

*IVRIS DI-
finitio.*

c) Ita saepius *Divina humanaque iura coniungi reperias*. Hinc ipsa denominatio *Iuris Naturae et Gentium*: hinc *Ius Romanum*, *Civile*, *Praetorium*, aliaque eius generis sexcenta.

accipitur, quando ICti Romani de *Iure Personarum* agunt ^{a)}, et cum de *Iure Civitatis, Agnationis*, aliisque, quae personas respiciunt, quaeritur: tametsi haec significatio ad praefens negotium etiam suo modo potest accommodari. Sed est *facultas moralis*, *personae alicui competens*, *ad aliquid agendum, habendum, et ab altero exigendum*. *Facultatem* dicimus, non *libertatem*, uti quidam faciunt: libertas enim, cum sit *species aliqua iuris*, definitionem eius ingredi non debet. Dum autem *moralem* appellamus, ad *leges eam, et superioris concessionem b)*, referimus. Quemadmodum enim omnis rerum humanarum actionumve moralitas in *quicunque relatione ad legem* consistit: ita *physica rei* alicuius agendae habenda est *facultas in moralem*, sive *ius*, tunc demum convalescit, quando legibus, et summorum imperantium voluntati, est conveniens. Ceterum Pufendorfius, in egregio Opere de *Iure Naturae et Gentium*, Lib. I, Cap. I, §. 20. iuris vocabulo non male designat *eam* tantum *qualitatem moralem*, per quam *aliquid nobis deberi intelligitur*: sed, quoniam ipse fatetur, se propter *pervulgatum usum aliis eiusdem vocabuli significacionibus abstinere nolle*; maluimus nos iuris conceptum paulo latius extendere, quam vaga minusque accurate ratione istam vocem usurpare.

§. IV.

- a)* Conf. Inscriptio Tit. *Inst. de Iure Pers.* cum Epigraphe Tit. *Pand. de Statu Hominum*, eiusdem argumenti.
- b)* cuius adeo vel ex superfluo in definitione iuris mentionem fecerunt Viri Celeberrimi, Chr. Thomasius, in *Inst. Iurispr. Div. Lib. I, cap. I, §. 82.*; et I. F. Buddeus, in *Pbil. Præf. P. II, Cap. IV, Sect. I, §. II.*

Iuris ita dicti effectus , aut potius *Correlatum*, uti vocant Logici, est *Obligatio*: de qua pauca hic monere, eo magis necessarium duco , quod in iuribus nonnunquam natorum explicandis perspicue versari non possumus ; nisi subinde ad officia , quae alii ipsis debent, mentem simul advertamus. *Obligationem* alii aliter definiunt. Vulgo dicitur esse *iuris vinculum*, *quo necessitate adstringimur alicuius rei praestandaे*; conf. Pufendorf. *de Offic. Hom. et Civ. Lib. I, cap. 2, §. 3*: quae definitio , ex iure Romano desumta , admitti potest; dummodo nihil intersit , propria , an figura- ta, locutione rem describamus. Nobis autem visum est, *obligationem* simplicius ita definire, ut dicatur *ne- cessitas moralis*, *qua quis vel facere aliquid, vel pati, vel omittere, tenetur*. *Moralis* est haec necessitas, atque adeo *legem* respicit a). Scilicet, cum a natura homo potentiam agendi habeat : non quidem infinitam, utpote quae soli D E O competit ; sed tamen satis amplam : haec ipsa physica facultas per leges ita restringitur, ut , si quidem rationem ducem velit se- qui, eadem, nisi certo ac praescripto modo , uti ne- queat. Etenim voluntas hominum naturaliter non nisi Bonum cupit b). Iam vero facile apparet, trans-

B gressio-

- a) vide *Sum praecedentem*. Diversae autem sunt leges , quae obligationem producunt, ab iis, quibus ius quoddam con- stituitur. *Quo* fundamento nititur distinctio Legis in *Obligantem et Permittentem*: quam multi , citra tamen suf- ficientem rationem , impugnant.
- b) Bonum hic intelligimus , non *Metaphysicum*, neque *praeceps Morale*; sed *Physicum*, ut ita dicam, sive *Bonum in relatione ad nos*: quale est omne id, in quo partem aliquam felicitatis no- strae positam esse existimamus; uno verbo , quod nobis placet. Vide Lockium *de Intellectu Humano*, *Lib. II, c. 21,* §. 42 et 43.

gressionem legum, ob contempti Legislatoris iram atque vindictam, Bonum non esse. Itaque non potest non homo, rationi obsecutus, actiones suas ad legum praescriptum attemperare malle, quam, eas violando, iram superioris in se excitare. Ut adeo, putchre monente Ill. Thomasio, in *Iurispr. Divin. Lib. I, Cap. I, §. 135*, restrictio illa libertatis, *in qua formalis ratio obligationis consistit, nihil sit aliud, quam ratiocinatio, quae, ex cognitione legis a superiori prae scriptae, homini indicat iram superioris et poenam, si contra fecerit*: addimus; *favorem autem eius et remunerationem, si iussis paruerit c).* Eodem tendit acutissimus DN. Wölfius, in den vernünftigen Gedanken von der Menschen Thun und Lassen / §. 8. Haec igitur Obligatio, et Ius, de quo in §. antecedente dictum, se mutuo semper consequuntur. Evidem canonem illum: *Vbi ius, ibi ex altera parte obligatio*; falle re autem, Pufendorfius, *Lib. III, cap. V, §. 1*; DN. Thomasius, in *Fundamentis Iur. Nat. et. Gent. Lib. III, cap. 7, §. 14*; DN. Gundling, in *Via ad Veritatem Iurisprud. Nat. Cap. I, §. 56 et Cap. XXXV, §. 44*, aliquie: attamen, quod pace summorum virorum dixerim, cum omnes concedant, obligationi ius semper respondere d); non satis appetet, quare *Correlatorum diversam esse rationem velint*. Certe, si patris idea filium includit; nec filius, absque patre, cogitari poterit. Exempla, quae in hanc rem affruntur, non probant, quod probari debuerat; fal tem.

-
- c) id quod ipse Vir Illustris in mente habuisse videtur, quum in *Fund. I. N. et G. Lib. I, cap. 4, §. 60*, *obligationem in genere definit, quod sit inclinatio voluntatis per metum inietum, et spem suscitatum* &c.
d) vide tamen Thomasium, loc. cit.

tem non sunt indubiae veritatis. Sed haec de *Obligatione* hoc loco dixisse sufficiat.

§. V.

Ad ius revertimur, et eius varias *Divisiones*: e *Divisiones laris.*
quibus illas tantum hic notabimus, quae instituto nostro aliquid utilitatis poterunt afferre. Dividitur illud: 1) in *internum* et *externum*; quae distinctio Grotio est usitatissima. *Externum*, alias *strictum ius*, vocatur, quod alicui competit per leges; solam externam hominum felicitatem, et decorum, respicientes; sive naturales eae sint, sive voluntariae: *Internum* a) vero, quod ad leges insuper honestatis, humanitatis, quin et prudentiae regulas, attemperatum est, adeoque conscientiam tutam et tranquillam praefstat. Ita in civitate iure externo rem alienam usucapere potest etiam malae fidei possessor; at minime interno. Alia exempla vid. apud Grotium, *Lib. III, Cap. 10-16*; ubi de temperamento iuris externi in bello agit. 2) in *perfectum* et *imperfectum* b). *Perfectum ius* est, cuius vi alterum, vel invitum, possumus adigere, ut officio suo satisfaciat; in naturali quidem libertate per bellum; in civitate vero per actionem in foro intenta-

B 2

tam:

- a) Alio sensu iuris interni meminit Gundlingius, in *Via ad Verit. Iurispr. Nat. Cap. I*, §. 63.
- b) Pufendorfius, loco supra §. III, citato, tertiam addit qualitatum moralium passivarum speciem, secundum quam recte quid admittimus; sed ita tamen, ut nulla nobis sit potestas, idem exigendi, nec alteri obligatio, idem tribuendi: qualis est habilitas accipiendo donum aliquod mere gratuitum. Sed, cum perfectum atque imperfectum sint contradictione Opposita, et hinc tertium non admittant; qualitas illa, scilicet facultas, aut est mere physica; aut, quod nobis videtur, ad iura perfecta, non quidem adversus ipsum dantem, sed in ordine ad alios homines, referri potest.

tam : qualia sunt v. g. omnia iura, quae ex pactis descendunt. *Imperfectum* dicitur, pro quo afferendo ista haec remedia adhibere non licet : cuiusmodi sunt ea, quae ex sola humanitate et virtute nobis debentur, a Pufendorfio luculenter exposita , *Lib. III, de Iur. N. et G. Cap. III.* Illud Grotio *facultas*, hoc *aptitudo*, audit. Quamvis vero sint, qui solum ius perfectum eo nomine dignum existimantes, propositam distinctionem impugnant ; non puto tamen, eam omni ratione destitui: cum utique iuri imperfecto sua respondeat obligatio , conscientiam obligati perinde stringens, atque ea, quae perfectum ius consequitur. Nostra certe iuris definitio utrumque genus comprehendit. Porro 3) iura sunt vel *connata*, i. e., citra omne factum humanum, ab ipsa nativitate, atque adeo *immediate* a DEO hominibus concessa : uti sunt *libertas*, *ius existimationis simplicis*, *ius rebus creatis utendi*, etc. vel *acquisita*, quae ex facto humano, proprio vel alieno, alicui superveniunt, et generatim fere ad *dominium imperiumve* possunt referri. Denique etiam 4) huc pertinet divisio iurium in *absoluta* et *hypothetica* : quam alias fere duntaxat ad officia applicare solent Iuris Naturae scriptores. Et *absoluta* quidem iura dicuntur ea, quae cuilibet adversus quemlibet indistincte competit, pleraque ab ipsa natura, media quadam obligatione, constituta : tale est *ius se ac vitam suam defendendi*. *Hypothetica* vero, seu *conditionata*, ex diverso hominum statu oriuntur, et hinc, neque ab omnibus hominibus, neque adversus omnes, possunt exerceri.

Quinam dicantur nascituri s. nondum nati ?

§. VI.

Hactenus de *Iure* egimus, eiusque cum definitiōnem, tum etiam varias formas atque differentias, indica-

dicavimus. Iam ad alterum Disputationis nostrae *Obiectum*, paucis quidem, et tribus, quod dici solet, verbis, explicandum progradimur. Neque enim opus est, aliquam *NASCITVR ORVM* descriptionem afferre: cum ipsa denominatio nihil ambigi, nihil omnino obscuri, habeat. Itaque hoc saltem monemus, duo abs se invicem distingui posse *nascituro*rum genera: *unum*, quando sub hoc nomine comprehendimus omnes eos, qui posthac, DEO volente, aliquando in rebus humanis sunt futuri; verbo, *posteros* nostros, seu, ut Poëta canit:

Natos natorum, et qui nascentur ab illis.

Alterum, quando de iis solum loquimur, qui, adhuc in utero materno latentes, vita iamiam et humanitate frui cœperunt. Et hos quidem forte pressius *non-dum natos*, quam *nascituros*, appellaveris; cum utique accidere possit, ut nunquam nascantur, et vivi hanc lucem adspiciant. Ceterum, nos in utroque sensu de *nascituri*s agere, ex postea dicendis clarum erit.

§. VII.

Nunc ad illam quaestione*m* accedimus, in qua praecipua vis argumenti nostri posita est, et cardo quasi totius rei vertitur: *an scilicet nascituri recte homines esse dicantur?* Praeterquam enim, quod incongruum videri poterat, eorum iura pertractare velle, qui ne quidem in rebus humanis esse vulgo creduntur; omnis certe de Iure nascituro*m* disputatio frustra institueretur, si quidem isti *hominum* numero forent eximendi ^{a)}. Ecquis vero credit, unquam

B 3

fuisse

^{a)} *Esse præiudicialem hanc quaestionem ante omnia dijudicandam, exinde etiam liquet; quod iura tantum non omnia, saltem*

fuisse, qui veram nondum natorum humanitatem in dubitationem adducerent? Attamen scimus, hac in re, veteres non Philosophos solum, verum etiam Iure-consultos, graviter esse hallucinatos. Ac Philosophorum quidem varias opiniones legimus apud Plutar-chum, Lib. V, de placitis Philosophorum, c. 15, et Galenum, in Libro: Εἰ ζῶν τὸ κατὰ γαστέρα; e quibus Stoici praesertim, foetum in utero matris, non modo nondum *hominem*, sed ne quidem *animatum*, esse docuerunt. Sic enim tradit Plutarchus, loc. cit.. πλάτων, ζῶον τὸ ἐμβρύουν· καὶ γὰρ μηδὲθεν ἐν τῇ γαστέρι, καὶ τρέφεθεν. οἱ Στοικοί, μέρος εἰναι αὐτὸ τοῖς γαστρός, & ζῶον. ἀσπερ γὰρ τὸς καρπών, μέρη τῶν φυτῶν οἵτας, πεπαγμένας ἀπορρέν, γάτω καὶ τὸ ἐμβρύουν. h. e. Plato animal [censet] esse foetum: propterea quod et moveatur in utero, et alatur. Stoici partem ventris esse [putant] non animal: sicut enim fructus, qui stirpium partes sunt, ubi maturuere, decidunt; ita et foetus. Idem de Chrysippo refert, Libro: περὶ Στοϊκῶν ἐνανθρωπῶν, s. de Stoicorum repugnantibus: τὸ βρέφος (ait) ἐν τῇ γαστέρι φύσει τρέφεθεν κομιζεῖ, καθάπερ φυτὸν· ὅταν δὲ τεχθῇ, ψυχόμενον ὑπὸ τῆς αἴρεσι καὶ σοματίου τὸ πνεῦμα μεταβάλλεται, καὶ γίνεθαι ζῶον. i. e. Foetum hominis in utero a natura ali-putat [Chrysippus] plantae instar: postquam vero in lucem editus fuerit, ab aère refrigeratum confirmatumque, spiritum haurire, et [sic] animatum fieri. Quam sententiam adeo improvide fecuti ICti veteres Romani, Stoicorum sectae maximam partem addicti, itidem statuerunt, partum nondum editum, qualis-cunque esset, non recte hominem dici posse: cum non nisi

saltem mediate, ex naturali hominum aequalitate fluant. De Iuribus igitur nasciturorum aëtri, prius demonstremus, necesse est, adesse hic idem iurum fundamentum, ipsosque eiusdem cum ceteris hominibus naturae esse participes.

nisi maternorum viscerum sit portio. Cuius rei varia adhuc extant in monumentis eorum vestigia. Ita Papinianus, in *Leg. IX. Dig.* Ad Legem Falcidiam: *Partus, inquit, nondum editus homo non recte fuisse dicitur.* Et Vlpianus, in *Leg. I. §. I. D. de ventre inspiciendo;* *Partus, ait, antequam edatur, mulieris portio est, vel viscerum.* Plura de hoc argumeto collegit Eman-
dus Merillius, *Lib. I Observationum. Cap. 16;* et Ger-
ardus Noodt, in Libro singulari de *Partus Expositione*
et *Nece apud Veteres. Cap. II et XI:* qui amplius ex
Philone Iudæo probat, infantes etiam recens natos
editosque, vulgari errore, non habitos fuisse homi-
nes, quam diu nullum nutricis officium intercessisset.
Quid igitur? Suntne nascituri homines; an secus? Et
funtne iam a primo conceptionis momento; an post-
ea demum fieri, credibile est? Alii enim, in quibus
Pufendorfius, *Lib. I de Iur. Nat. et Gent. Cap. I, §. 7,*
concedunt quidem, foetum vere *hominem* dici posse,
etiamsi nondum visceribus maternis fuerit egressus:
sed ita tamen, *ubi iam tanquam peculiaris substantia
vivere et sentire coepit;* ante hoc tempus non recte
hominem vocari b). Enimvero nos, missa illa distinc-
tione, simpliciter et sine haesitatione asseveramus,
infantes, qui in utero sunt, ab ipsa statim generatione,
pro veris hominibus esse habendos. Etenim, cum
per mirandum illum naturae ordinem, quem sapien-
tissimum Numen rebus creatis in hoc universo pree-
stituit, unumquodque semper, quod sui simile est,

pro-

b) De hac distinctione inter foetum *animatum* et *inanimatum* evolvi potest P. Laymann, Soc. Ief. in *Theologia Morali,* *Lib. III, Tract. III, Part. HI, Cap. 4, Qu. 2;* ubi et applicacionem eiusdem, et plures, qui ista utuntur, scri-
ptores, videre licet.

procreare videmus: tum certe hominem abs homine nasci , manifestum est. Nulla igitur (si quid iudicamus) ratione satis idonea probari potest , partes hominis *essentialis*, animam et corpus, non ab eo statim tempore adesse , ex quo iam certa , nisi quid praeter naturam fiat , et fallere omnino nescia , nascendi hominis spes ostenditur. *Homo est*, (inquit Tertullianus in *Apologetico Cap.9.*) *et qui est futurus*. etc. Plane quod ad corporis attinet *existentiam* , res extra omne dubium posita est. Dudum enim demonstrarunt Physisci et Anatomici celebriores , prima omnium animalium stamina , et *rūdimenta foetus* , in ipsis illis ovulis contineri , quae per congressum maris et feminae in utero foecundantur: neque adeo infantis corpusculum , in ovo delitescens , nisi partium evolutione et magnitudine , ab homine maturae aetatis differre. At de spiritu hominis invisibili , et eius cum corpore coniunctione , quae demum hominem efficit , nunquam non inter eruditos gravis fuit controversia . Notae sunt *Educianorum* , *Inducianorum* , *Traducianorum* , *Creatianorumque c)* lites : quibus nunc quidem nos imimiscere nolumus; eo minus , quod ex hoc Labyrintho vix Ariadnaea ope elabi possis. Quin , sicut ipse modus *unionis animae et corporis humani nobis incogni-*

-
- c) Nomina harum *seitarum dogmatibus* , sive placitis , earundem debent originem. Omnes ac singulas refutare anisus est b. I. A. Planer , Sup. Math. P. P. Wittemb. peculiari *Dissertatione* , ibidem 1712 babita : in qua simul *Novam de Animae Humanae Propagatione sententiam proponit*. Extat quoque acuta B. Roetenbeccii *Dissertatio de Origine Mensis Humanae* Altorf. 1676; in qua *Creatianorum* tueruntur dogma.

incognitus est d) : ita multo magis, in tempore, quo illa coepit , determinando , ingenuum securumque putamus, τὸ ἐπίχειρον amplecti. Interim pro defendenda nostra sententia , nihil omnino intereat , quamcunque opinionem sequi velimus. Si enim, secundum *Traducianos*, animae ex ipsis parentibus per generationem propagantur ; habemus sine dubio , quod volumus . Sin postea demum aliunde accedunt ; nihil profecto impedit , quo minus hoc in ipsa conceptione fieri credamus. Sufficit, non posse tunc definiri tempus, quo ista unio contingat. In dubio autem semper praferenda est ea sententia , quae tutior est , et minus difficultatis , minus incommodorum , habet.

§. VIII.

Restat alia quaestio , breviter ante expedienda , quam iura nondum natorum sigillatim tradere aggrediamur. Supra a) ostendimus , ius pariter atque obligationem nonnisi a superioris voluntate proficisci atque constitui : illud quidem per leges permittentes ; hanc per obligantes , sive praecipientes. Iam , sicut ipsae leges ad *creaturas* tantum *rationales* pertinent : h. e. ad eos , qui et normam sibi praecriptam possunt cognoscere ; et voluntatem habent , libere in utramque partem flexilem , cuius ope actiones suas ad eandem normam dirigere queant et accommodare : ita nec effectus legum , obligatio nimirum et ius , in alios C cadere

*An iura con-
dant in bo-
mine non-
dum nato?*

d) Hinc tribus adhuc cognitis *Systematibus*, ad modum istum declarandum efficiens, *Systema Ignorantiae* opponit Celestius Dn. Prof. Feuerlein, Praeceptor meus exoptatissimus , et multis nominibus colendus , in Specim. IV, Observ. Eccles. ex Controversiis de Metaph. Leibnitio-Wolfsana . §. I. not. (c).

a) in §o III et IV.

cadere videtur, nisi qui illis, quae modo adduximus, requisitis sunt instructi; paucis, qui rationis usum habent. Quo cum infantes, et multo magis eos, qui adhuc in utero sunt, destitutos esse videmus; facile poterat alicui in mentem venire; *an etiam nascituri revera iuris sint capaces?* Verum salva res est. Distinguimus enim inter *iuris quasi possessionem*, et *iuris exercitium* b). Quod ad *xenon* attinet, concedimus istam *Objectionem*: quis enim dubitet, rationis usum, et generatim physicam facultatem, necessario requiri; ut quis iura sua in actum deducere, et contra aliorum invasiones, perturbationes, et vim iniustum, tueri possit? Ast cum de *xenon* quaeritur, id quod in hac controversia praecipue fieri solet; tunc utique affirmamus, infantes, etiam nondum natos, perinde iurium capaces esse, atque eos, qui iam matura sunt aetate, et pleno rationis usu fruuntur. Sed inquies forsitan: quaenam haec est fictio? quam inane, et prorsus nullum, est ius sine exercitio? sine omni effectu? Certe, qui iura sua omnino exequi non potest; nec habere eadem videtur. Non videri autem, et non esse, in Moralibus plane convenientiunt. Verum negamus consequentiam. Neque enim solius facultatis *physicae* defectus quidam tollit statim *moralēm*; aut ignorantia iurium suorum ipsum ius: alias nec furiosi, neque alii, qui per morbum, aut corporis imbecillitatem, iura sua exercere impediuntur, ullo iure frui possent: quid? quod per omne illud tempus, quo quis somno indulget, omnia eius iura cessare, dicendum

b) Abstinemus ab ambiguis *aetatis primi et secundi terminis*, quibus alii hic utuntur: Grotius *praesertim*, Lib. II de I. B. et P. Cap. III, §. 6. ubi de *dominio in specie* disputat: quam controversiam paulo inferius astringemus.

dum foret. Adhaec, quamvis nondum natius suum ipsi persequi, et contra alios defendere nequeant: sufficit tamen, (uti in §o IV. ostendimus) iuri eorum respondere in aliis, qui iam rationis usu gaudent, obligationem; cuius hic est effectus, ut non solum ii. qui iura nondum natorum temere laedunt, male se agere, et vel ipsis infantibus ad damni reparationem, per conscientiam, teneri intelligent: sed ut hi quoque, ubi postea adoleverint, iniuriam sibi illatam ulcisci, et ab altero satisfactionem exigere queant. Qua de re conferre licet Pufendorfium, *Lib. I, Cap. I, §. 7.* Itaque certum omnino manet, etiam nondum natos iurium esse capaces.

§. IX.

His iactis fundamentis, nihil moramus amplius, ad rem ipsam accedere: in qua quidem pertractanda ita versabimur, ut secundum divisionem iurium, supra §. V, tertio loco a nobis propositam, tum de *connatis* a) hominum nasciturorum *iuribus*, tum etiam de *acquisitis*, pauca quaedam in medium afferamus. Duximus, ultimum omnium iurium fundamentum esse aequalitatem hominum naturalem, h. e. naturam humanam, omnibus indistincte et aequaliter competenter. Demonstravimus item, etiam nondum natos huius naturae revera esse participes. Hinc adeo proxime et necessario consequitur, ut in partem quoque

C 2

*De iuribus
connatis
nascituror-
um: et 1)
quidem de
Existim-
atione sim-
plici.*

et

- a) Neminem offendat applicatio *iurium connatorum* ad homines *nondum natos*. Quanquam enim in terminis videatur esse aliqua *Contradiccio*; res ipsa tamen plana est, ex definitione supra tradita. Possent ista utique forte commodius *naturalia* vocari: sed cum *entia* praeter necessitatem non sint multiplicanda; terminos aliis iamiam usitatos et consuetos retinere maluimus.

et communionem veniant eorum iurum , quae ex statu humanitatis per se et *ā prius* fluunt . Vocantur illa , prout iam dictum , *iura connata* ; quod cum ipsis hominibus quasi nascantur atque oriantur : quaenam autem et qualia illa sint , nunc statim indicabimus . Neque vero in eo erimus occupati , ut generatim ostendamus , habere nondum natos a natura ius perfectum , ut ne ab aliis laedantur : sed potius ipsa illa iura speciaalia , quorum intuitu laedi , et iniuria affici , non debent , distincte expendemus . Primum igitur hic nobis sese offert *Existimatio simplex* : quam supra iam inter *iura connata* retulimus . *Existimatio in genere* , a Pufendorfio , *Lib. II de O. H. et C. Cap. 14, §. 1* , aliisque , definitur , *valor personarum in vita communi* , *secundum quem aptae sunt* , *quae aliis personis exaequentur* , *aut comparentur* ; *eisque vel antehabeantur* , *vel postponantur* . Dividitur illa a plerisque I. N. scriptoribus in *simplicem* , et *intensivam* . Vtraque rursum considerari potest , tam inter eos , qui in *naturali utrinque libertate* vivunt , quam qui eadem *civitate* continentur . De qua re plura habet Pufendorfius , *l. c.* et in maiori Opere de I. N. et G. *Lib. VIII, Cap. IV* . Nobis hic sufficit monere , *existimationem simplicem* , quae inter iura hominum connata est , in hoc potissimum consistere , ut quis pro idoneo societatis humanae membro habeatur , quam diu ipse se per enormia facinora hoc iudicio non indignum reddiderit . Cuius consequens est , ut ipsi omnia ea officia , quae homo homini debet , ab aliis praestari oporteat , neque tanquam hostes haberi tractarique debeant . Cum igitur haec *existimatio* a natura unicuique tribuatur , ita , ut *citra antecedens pravum factum omnes homines aeque*

que boni, aequi honesti, sint iudicandi, b): nemini profecto dubium esse potest, quin ista multo magis ius competit, qui ne quidem ullius doli aut malitiae sunt capaces; puta, *hominibus nondum natis*. Quae cum ita sint; videmus, quam infirmo, et quam plane nullo, fundamento nitatur *Hobbesii* argumentatio, quando potestatem et imperium paternum ex iure captivitatis et victoriae derivare conatur c): quasi vero tanquam hostes possint tractari, qui ne quidem animum nocendi habent. Sic alii quaestionem: *utrum in periculo mortis tam matri, quam infanti nascituro, imminentis, matri potius succurrere liceat?* affirmant ex eadem ratione, quod in tali casu foetus sit quodammodo aggressor matris, quem proinde etiam cum vitae iactura possit depellere. Vid. P. Laymann, *locos supra citato*. At quanquam res ipsa bene se habeat; prout postea videbimus: ratio tamen et modus probandi admitti nequit.

§. X.

Alterum ius, hominibus nondum natis ab ipsa natura constitutum, est *Libertas*: quae nobis hic nihil aliud denotat, quam facultatem, sive potestatem moralis, in se et actiones suas, quatenus aliorum directioni non sunt obnoxiae a)). Fluit hoc ius itidem ex naturali

s) *De Li-
bertate na-
turali.*

C 3 homi-

- b) Unde tritum illud: *Quilibet praesumitur bonus, donec probetur contrarium.*
- c) in Libro de Cive, Cap. 9, §. 2, et in Leviathane, Cap. 20: cuius sententiae, cum ceteris quidem Hobbesii principiis intime cohaerentis, absurditatem plures demonstratam derunt; citati a Dn. Gribnero, in Princip. I. N. Lib. I., Cap. IX, §. 3.
- a) Definitio haec positive, ut in scholis loquuntur, rem exprimit: potest enim eadem libertas negative etiam describi, quod sit immunitas ab omni imperio, nisi cui, vel per naturam ipsam, vel facto, aut lege humana, quis fuerit subiectus.

hominum aequalitate , quae non permittit , ut quis . citra consensum suum , expressum vel tacitum , vel alia iusta de causa , alterius imperio subiiciatur ; sed potius quemvis rerum suarum actionumve liberum moderatorem atque arbitrum constituit . Neque vero ex eorum numero esse volumus ; qui *libertatem* hominis *naturalem* adeo laxe definiunt , ut in effrenem prorsus et abominandam *licentiam* degenerare videatur : quae tantum abest , ut naturae hominis sit conveniens ; ut contra eam plane destruat atque pervertat . Potius ex ipsa definitione nostra satis patere arbitramur , *libertatem* a nobis inter iura hominum *connata* quidem ac *perfecta* ; sed *hypothetica* tantum , et minime inter *absoluta* , referri . Neque aliter se res habet . Ut enim nihil dicamus de supremo atque omnium eminentissimo imperio , quod D E O in universum genus huma- num , tanquam a se creatum et productum , competit ; liberi certe per ipsam nativitatem parentibus subiiciuntur . *Natura* , ait Plinius , in *Panegyrico* , c. 38 , *semper in ditione parentum liberos esse iussit* . Quorum adeo intuitu libertas naturalis ipsis est ademta , quamdui educatio eorum requirit , ut parentum arbitrio et directioni sint obnoxii . Deinde etiam in statu civili omnes quidem liberi nascuntur in ordine ad alios homines , tum intra civitatem , tum extra eam , viventes ; minime tamen respectu totius societatis civilis , cuius per nativitatem membra efficiuntur . Quod igitur ad homines nondum natos attinet ; existimamus , illos , praeter D E V M , nemini , nisi parentibus in statu naturali , in civili autem adhaec ipsi quoque civitatis imperio , subiectos esse . Quamobrem etiam non possumus non illorum sententiae accedere , qui naturaliter non necessarium esse arbitrantur , *ut proles servilis eiusdem*

iusdem sit conditionis. Vide Grotium, *Lib. II de Iure B. et P. Cap. V*, §. 29, et Guil. van der Muelen, *ad hunc locum*; item Pufendorfium, *Lib. VI, Cap. III*, §. 9 *sub finem*; aliosque. Quamvis enim non negemus, posse parentes b), ubi nulla alia fuerit ratio educandi partum, prolem sibi nascituram in servitutem secum addicere; quippe cum tali ex causa etiam in libertate natos vendere parentibus liceat: hoc ipsum tamen ultra casum necessitatis non facile debet extendi.

§. XI.

Tertium, et fere praecipuum, hominum nasciturorum ius in eo consilit, ut ne in vita, aut corpore, ab aliis hominibus laedantur. Supervacuum foret, multa de hoc iure generatim differere, et fundamenta eius, satis, ut opinor, clara ac perspicua, fusius hoc loco repetere. Supra enim iam ostendimus, etiam nondum natos esse homines, et omnium eorum iurium participes, quae ipsam naturam humanam necessario ac perpetuo comitantur. Quamobrem id saltem monemus, *absolutum esse ius istud*, et adversus omnes omnino homines infantibus competere. Cum enim *witam* pariter atque *corpus* suum solius DEI beneficio habeant; facile patet, nemini quidquam iuris in haec nasciturorum bona concedi: neminique adeo impune futurum, si ipsis eadem eripere, vel alio modo corrumpere, aufus fuerit. Itaque cum Pufendorfio, *Lib. I, Cap. I*, §. 7, utique existimamus, si eius quoque, qui in utero est, corpus dolo malo laedatur, iniuriam fieri, non parentibus solum, sed et ipsis foetui; qui eandem postea, ubi adultus fuerit, etiam suo nomine ulcisci queat. Multo magis autem abominamur, ipso-

³⁾ *De Vita et Corporis integritate,*

b) Verba sunt Grotii, loco citato.

que Naturali Iure prohibitam esse censemus *abortus procurationem*^{a)}: quod enim possit maius excogitari nominarique scelus, quam hominem perdere, eique denegare lucem a se non datam, quem D E V S non ad mortem, sed ad vitam atque maturitatem, existere iusserat? Vere ac religiose ait Tertullianus, loco iam supra excitato: *Homicidii festinatio est, prohibere nasci: nec refert, natam quis eripiat animam; an nascentem distractet.* Nihilominus tamen haud desunt etiam detectandi huius criminis patroni atque defensores; qui, vel solius famae et existimationis tuendae causa, partum medicamentis abigi posse concedunt: cuiusmodi sententiam refert refutatque Magnif. Dn. Praeses, in Dissertatione *de falsa methodo dirigendae intentionis*, §. XV. *Enimvero cum, ipso D. Paulo docente, non sint facienda mala, ut inde eveniant bona:* tantum abest, ut haec ratio tanto sceleri excusationem afferre queat; ut potius atrocitatem eius non parum augere videatur. Difficilior est ea quaestio, quam supra iam attigimus: *utrum scilicet foetum abigere, aut saltem mortis periculo exponere, liceat, ut mater conservetur?* Nam, si quaestionem affirmemus, videmur sane concedere, quod antea negabamus; habere parentes ius quoddam in vitam prolis ex se nasciturae: sin negamus

- a) Quaestionem; *an liceat mulieri, partum abigere?* ab omnibus fere tum *Moralistis*, tum I. N. scriptoribus, tractari inveneris. Plerique recte eam negant, ex eadem ratione, quam nos adduximus; quia scilicet foetus iam sit homo. Sunt tamen, qui et alias afferant; quamvis non adeo claras et evidentes: inter quos praecipue est Dn. I. G. Wagner, in *Iur. N. et G. Libro Elementario. P. I, Cap. V, §. 24:* cuius rationem vix est, ut penetrare possimus. Alii distinguunt inter foetum *animatum*, et *inanimatum*; quam distinctionem vero nos iam supra §. VII, reiecimus.

mus eandem, non appareat, quare matri ademtum sit ius, se ac vitam suam conservandi; quod tamen omnibus hominibus ipsa naturalis ratio indulget. Verum breviter respondemus: omnino in tali casu necessitatis, ubi matris atque infantis vita simul periclitatur, istam huic praeferendam esse. Quemadmodum enim semper in *collisione officiorum*, quae sibi, et quae aliis debentur, merito sibi quisque proximus esse existimat: ita mater, ubi simul cum infante servari nequit, haud aegre suae potius vitae et saluti consultit; quam eius, qui cum utriusque demum extremo periculo est nasciturus.

§. XII.

Cum iure vitae, quod modo exposuimus, proxime et necessario connectitur *ius rebus creatis utendi*: quod itidem inter *iura hominis connata* locum invenit ^{a)}. Cum enim ea sit vitae atque corporis humani constitutio, ut ex ipsa quasi substantia sua nequeat durare; sed *rebus extrinsecus* assumtis ad sui conservationem indigeat: facile appareat, homines, etiam nondum natos, habere *ius* quoddam velut *generale in res creatas*; hactenus, ut ipsis ex iisdem tantum sit concedendum, quantum opus est, ad vitae eorum sustentationem: cum primis, quia, teste Cicerone, *Lib. I de Legibus, Cap. 8*, ad *bominum commoditates et usus tantam rerum libertatem natura largita est*, ut ea, quae gignuntur, donata *consulto nobis, non fortuito nata*, videantur. Hinc adeo consequitur, ut non solum parentes liberis ex se nascituris *alimenta* debeant ^{b)}, eaque ne quidem

D testa-

4) De iure
rebus, ad
vitae sus-
tentationem
meritorius,
utendi.

^{a)} De hoc iure, sive de facultate humani generis in Res, perspicue agit Pufendorfius, *Lib. IV, Cap. III integro*.

^{b)} et quidem ex obligatione perfecta: quod probat Pufendorfius

testamento ipsis possint adimere; sed, ut in casu extremae paupertatis, mortuis praesertim parentibus, etiam alii homines infantibus victum et amictum perfecta obligatione praestare teneantur, quousque istis rebus parandis ipsis non sunt idonei. Et tunc quidem curam atque educationem infantum natura praecipue ius commendat, qui sanguine ipsis et cognatione iuncti sunt. Vnde patet, graviter peccare, et ius perfectum liberorum laedere, qui eos recens natos exponunt, atque adeo indirecte ipsis vitae periculo obiciunt. De quo aurea fane sunt verba Icti Pauli, in *Lege IV^r Dig. de agnoscendis et alendis liberis*; ubi in hunc modum scribit: *Necare videtur, non tantum is, qui partum perfocat; sed et is, qui abiicit, et qui alimonia denegat; et qui publicis locis, misericordiae causa, exponit, quam ipse non habet.* Verum haec, quoniam ad homines non tam nascituros, quam recens natos, pertinent, nihil amplius morabimur.

§. XIII.

*De iuribus
acquisitis;
in specie de
Dominio.*

Pergimus potius ad *iura acquisita*; h. e. ea, quae non ab ipsa natura, hominibus nondum natis consti- tuuntur; sed tantum ex aliquo facto humano, aut in Civitate ex legum dispositione, descendunt: quælia sunt *Imperium, Dominium, et Existimatio intensiva*. De *Imperio in Sectione II* non nihil dicemus. Hic loci de *Dominio* saltem nobis sermo erit. Neque enim, quantum ad praesens institutum, peculiarem translationem meretur *Existimatio intensiva*: cum omnia, quae de dominio in hoc negotio disputantur, ad eandem

fius, *Lib. IV, Cap. XI, §. 4.* Dissentit Grotius, *Lib. II, Cap. VII, §. 4;* qui hoc parentum officium ad iustitiam tantum attributricem, non ad expletoriam, referre maluit.

dem sine difficultate queant applicari. Duas igitur potissimum hoc loco examinabimus quæstionēs :

- 1) *An homines nondum nati dominī sint capaces?*
- 2) *An et quatenus usucatio eosdem rerum dominio possit privare?*

§. XIV.

Quod igitur ad primam quæstionem attinet: *an scilicet nascituri dominii sint capaces?* nolumus nunc quidem ex instituto in naturam atque indolem *dominii* inquirere, et varias eius definitiones excutere, a scriptoribus passim allatas : quorum alii latiorem, angustiorem alii, significationem huic voci subiiciunt. Nobis satis est in praefens, monere, *dominium* nihil aliud esse, quam *ius de re aliqua libere disponendi*; h. e. rem habendi, ea utendi, eandemque libere alienandi atque vindicandi; *nisi lex et conventio obstat* a) Neque vero opus est, ut ostendamus, dari eiusmodi *dominium*: hoc unice agimus, ut illud etiam nondum natis vindicemus. Generalis ratio huius asserti nostri ex iis peti debet, quae iam in superioribus b) de iure in universum diximus. Itaque hic quidem nunc speciatim de *modis acquirendi rerum dominii* dispiciemus; *utrum isti hominibus etiam nondum natis convenient; nec ne?* Dividuntur a I. N. scriptoribus in *Originarios* et *Derivativos*. Illi sunt, qui-

D 2

bus

- a) Definitio haec ab *effectis dominii* est desumpta: id quod in moralibus utique locum habet. Evidem eam ipsam ob causam huiusmodi descriptionem reprehendit quondam celebris ICtus, Caspar Zieglerus, in *Notis ad Grotium*, p. 245; eamque maxime in proposita controversia incommodam esse perhibet. Sed bene ostendit Guil. van der Muelen, ad eundem locum: nihil omnino ad hunc scopum interesse, utcunque *dominium* definiri placeat.
- b) vide *Sum VIII.*

*An homines
nondum na-
ti dominii
sint capaces?*

bus ab initio in rem aliquam proprietas introducitur; seu, per quos acquirimus rem, hactenus nullius dominio subiectam. *Hos vocant, quibus dominium iam constitutum ab uno homine in alium transit, et veluti derivatur.* *Originaria acquisitione, omnium consensione, fit per occupationem.* *Derivativa autem multis modis contingere potest;* quos alias Icti in *Naturales, Civiles, et Mixtos,* solent distinguere: quam distinctionem nunc suo loco relinquimus. Id certum est, in omni *acquisitione derivativa* requiri, vel *prioris domini factum, vel legis dispositionem.* *Quod alterius fuit, id ut fiat meum; necesse est, aliquid intercedere:* inquit Varro, *de re rustica, Lib. II, Cap. I.* Iam itaque, ut ad quaestionem propositam distincte respondeamus; utique manifestum est, *originarie, scilicet per occupationem,* non posse rei ullius dominos effici nondum natos: ad hoc enim apprehensio quaedam corporalis, cum animo sibi habendi coniuncta, requiritur; id quod in istos non cadit ^{c)}: nisi forte dixeris, alios aliquando res, quae in nullius sunt dominio, etiam pro hominibus nascituris velle et posse occupare. Ast circa acquirendum dominium rerum, quae ab aliis hominibus in eos derivantur, aliter se res habet. Cum enim, prout Imperator ait in §. 40 *Inst. de Rer. Divis.* *nihil tam conveniens sit naturali aequitati, quam voluntatem domini, rem suam in alium transferre voluntis, ratam haberri:* quid obstat, quo minus etiam nondum nati, ex legis, vel alterius hominis, voluntate, dominium possint acquirere? *Quod per leges hoc effici*

^{c)} Pufendorfius, aliisque, hoc etiam ad infantes, quibus rationis usus adhuc deest, itemque furiosos, extendunt, eosque per occupationem aliquid sibi acquirere negant: cui vero opinioni non omnino subscriendum censemus.

effici queat; vix est, ut quenquam dubitare credamus: et supra iam, exemplo *iurium connatorum*, ostendimus, per leges iura etiam ignorantibus posse constitui. Enimvero, cum ad hoc, ut rei alicuius dominium ab uno in alterum transfeatur, regulariter utriusque consensus sit necessarius; dubium videri potest, *an etiam cum effectu morali dominium in eos transferatur, qui in id consentire nequeunt?* Equidem, si cum Pufendorfio, aliisque, ad *consensum praesumptum* hic velimus confugere, nullo negotio difficultatem solvere possemus. Verum, cum iste consensus ad *Iuris fictiones* pertineat, quae in disciplina I. N. locum non habent: distinguimus potius inter *effectum eiusmodi translationis, ratione auctoris, et ratione aliorum hominum.* De *priore*, utique concedimus, imperfectam esse huiusmodi dominii translationem, et ab *auctore* suo, quandocunque lubet, posse revocari; *attamen iure saltem externo*: imo neque tunc amplius hoc licere putamus, ubi nomine nasciturorum alii, quorum interest, v. g. *parentes, aut consanguinei*, acceptationem fecerint: id quod et rationi conveniens est, et in civitatibus quoque sapienter ita constitutum. Quod vero *ad alios homines* attinet; omnino plenum iuris effectum habere arbitramur dominii translationem in homines nondum natos factam. Sufficit enim, nemini alii quidquam iuris in istam rem competere, qua dominus in eorum favorem sese abdicavit. Hinc, si quis illam auferat, perdat, aliave ratione corrumpat; iniuriam sane non tam priori domino, quam ipsis nascituris, infert. Ceterum quaestionem hanc, praeter alios, tractarunt Grotius, *Lib. II, Cap. III, §. 6;* et Pufendorfius, *Lib. IV, Cap. IV, §. 15, et Lib. VI, Cap. II, §. 8.*

§. XV.

*An et quatenus usum
tenus utile
capiο nunc
at nondum
natis?*

Gravior et satis intricata est altera quaestio : *an et quatenus nondum natis per usucaptionem ius suum possit decadere?* Non hic morabimur ea , quae de *usucaptionis iustitia a), de bona fide, iusto titulo, aliisque eiusdem requisitis, et variis circumstantiis, a Morum pariter ac Iuris Naturae scriptoribus, itemque Iure-consultis, solent disputari.* Saltem, *quid sit usucapio; et quonam fundamento nitatur;* paucis indicabimus. *Usucapio nobis est modus acquirendi dominii in re aliena, per usum eius et possessionem, a domino sciente et prudente non interpellatam.* Causa huius *usucaptionis, seu fundamentum, aliud est remotum, aliud propinquum:* quae vulgo non satis abs se invicem discernuntur ; distingui tamen, et possunt, et debent. *Remotum, in statu tam naturali, quam civili, est tranquillitas et salus publica :* ne scilicet lites in immennum crescant , aut dominia rerum perpetuo in incerto sint. *Proximum autem fundamentum, in civitate quidem, est Legum constitutio; in libertate vero naturali, praesumpta domini prioris derelictio, et tacitus consensus : qui ex neglecta rei vindicatione haud immerito colligitur b).* Hinc inter eos, qui solo iure naturae reguntur,

a) quam graviter impugnat Guil. Amesius, *Lib. V, de Conscientia, Cap. 41, p. 386:* refutatus, praeter alios, a b.m. Laegero, in *Observ. ad Grotium, p. 229 et seqq.*

b) Evidem non semper, qui tacet, consentire videtur: siquidem , tacere est medium inter duo extrema, scilicet inter consensum et contradictionem, inter fateri et negare : uti est in Leg. 142 Dig. de Reg. Iur. Attamen hoc loco silentium, cum suis circumstantiis consideratum, utique praesumptionem pro consensu facit. *Leges enim vigilantibus sunt scriptae: et qui rei suae dominium conservare vult, debet eam ab iniusto possessore mature repetere; alias, quod prius fuit voluntatis, postea fit necessitatis.*

tur, *usucapio* tunc demum locum habet, ubi dominus rei aut non cognoscere cupit, quis illam possideat; aut ubi cognoverit, alterum nihilominus eadem libere frui patiatur. In civitatibus autem maxime requiritur, ut quis rem tanto tempore possederit, quantum usucapioni complendae per leges est praefinitum. His ita positis, patet iam sane, haud iniuria *per difficultem* vocari a Grotio, *Lib. II de I. B. et P. Cap. IV, §. 10*, propositam quaestio-
 nem: *annondum natis per tacitam derelictionem parentum et maiorum suorum ius possit auferri?* Certe enim, ut ipse Vir incomparabilis ratiocinatur, si non posse dici-
 mus; nihil ad tranquillitatem publicam et certitudinem
 dominiorum proficit, a patre rem usucepisse, si eandem
 postea filius, quasi suo iure, possit repetere. Sin posse af-
 firmamus; mirum videbitur, quomodo nocere silen-
 tium debeat his, qui loqui non potuerunt; quippe
 cum nec existerent: aut quomodo aliorum factum
 ipsis damno esse possit. Evidem ad huius nodi so-
 lutionem respondit Grotius, et illum secuti omnes
 fere Iuris Naturae scriptores: *eius, qui nondum na-
 tus est, nullum esse ius; sicut nec ulla sunt accidentia
 rei non existentis:* adeoque etiam nihil iuris iisdem
 erectum dici posse. Quorsum applicant illud M. Se-
 nécae, *Lib. I, Controv. 6: Quamdiu non sumus, na-
 tura nos regit, et, in quemcunque vult casum, nos
 mittit. Hinc sumus aestimandi, cum sumus nostri.*
 Enimvero ratio ista nobis rem confiscere neutiquam
 videtur. Praeterquam enim, quod, recte monente
 Osiandro, in *Observationibus ad Grotium*, p. 721,
 alia sit ratio accidentium physicorum atque mora-
 lium c): certe in hac quaestione de nascituris agitur,

non

c) *Illa enim, cum a natura sint, utique requirunt subiectum,
 quod iam in rerum natura existit. Haec autem, nempe mo-
 ralia*

non, quatenus iam quidem nondum existunt; sed, quatenus aliquando in rebus humanis vere sunt extituri. Itaque hic nihilominus restat idem dubium: an possint, facto parentum suorum, illis iuribus privari, quibus, nisi eiusmodi factum intervenisset, certo fruaturi erant? Deinde, si ratio Grotii vera esset ac sufficiens; sequeretur inde, non posse usucaptionem procedere contra infantes, qui iam in utero sunt, aut contra impuberes et minorennes: id quod in legibus quidem Romanis ita constitutum videmus; naturaliter tamen arbitramur non esse necessarium. Habant enim eiusmodi infantes, a quibus damni reparationem petant, tutores nimirum atque curatores, quorum culpa illud passi fuerunt. Aliud dicendum foret, si nemini cura et rerum eorum administratio commissa esset. Denique, si vel maxime admitteremus Grotii assertionem; tamen ea ad iura solummodo pertineret, quae a parentibus in liberos devolvuntur; minime vero ad bona, quae aliunde veniunt: in quibus sine dubio perfectum ius etiam nondum natis potest constitui: id quod pulchre ostendit, et exemplo feudorum probat Guilielmus van der Muelen, *ad hunc locum.* Quid ergo? Omnino dicimus, usucaptionem nondenit natus nocere: et quidem in bonis, tam paternis, quam aliunde in eos collatis. Verum diversa utrinque est ratio. Quod attinet ad bona paterna; in re ipsa quidem cum Grotio sentimus, nullum esse nascituris in iis ius quae situm: duntaxat autem in modo probandi ab eo discedimus. Nos enim fundamenti loco ponimus, *non esse naturaliter necessarium, ut quod parentes habent, idem habeant et liberi, sive iam nati, sive demum nascituri.*

ralia accidentia, ab impositione dependent, adeoque etiam iis tribui possunt, qui adhuc saltem poterunt existere.

turi. Cuius quidem sententiae nostrae rationem ex superioribus manifestam esse putamus: siquidem iam iterata vice d) ostendimus, *iura acquisita*, de quibus hic quæstio est, nisi a lege, aut factō humano, proprio vel alieno, non oriri: adeoque, sine legis concessione, anteque omne factum humanum, competere nemini. At inquires: *for sit an ipsa lex naturae liberis cavit de bonis parentum et maiorum suorum habendis?* Sed vero hoc ipsum est, quod negamus; si quidem de *iure perfecto* sit sermo. Etenim natura nemini perfectum ius constituit, nisi in iis rebus, quae cuivis homini, ut tali, competit, et sine quibus salus et tranquillitas societatis humanae consistere nequit. Atqui talia non sunt parentum bona, liberorum intuitu. Neque enim, si vel parte corundem, vel etiam univerbis, carere eos oporteat, propterea detriore sunt forte, quam humanae naturae conditio admittit e): cum alias plures nasci videamus, qui, nullo a parentibus accepto patrimonio, suarum sibi fortunarum ipsi auctores esse coguntur. Hinc etiam nec iniustum est, multo minus poenae, proprieta ita dictae, rationem habet, quando ob parentum delicta graviora liberi quoque honoribus, bonis paternis, quin et ipso civitatis iure, privantur: qua de re videre licet Pufendorfium, Lib. I de I. N. et G. Cap. IX, §. 2, et alibi; itemque Grotium, Lib. II, Cap. XXI, §. 10. Quae cum ita sint; quis non videt, nullam omnino per usucaptionem nascituris fieri iniuriam: neque adeo eosdem de bonis parentum sibi ablatis conqueri posse;

E

sc;

d) in *Io Vet XIII.*e) dummodo de necessariis vitae subsidiis ipsis fuerit prospicuum: nam ceteroquin valet, quod *de alimentis necessariis*, supra in *Io XII.* dictum fuit.

se; utpote quae nullo perfecto iure ad illos pertinebant. Alia est ratio eorum bonorum, quae ab aliis hominibus in nondum natos conferuntur; et in quibus, uti diximus, sine dubio etiam perfectum ius quae situm habere possunt. Hoc ipsum tamen non obstat, quo minus et haec bona usucaptioni sint obnoxia; ex iis potest intelligi, quae paulo ante, contra Grotium disputantes, in medium attulimus.

§. XVI.

*Plura huius
argumenti
capita indi-
cantur.*

Possimus nunc eadem ratione de *Testamentis*, de *Renunciationibus*, de *Pactis et Conventionibus*, de *Iureiurando* a), et similibus, dispicere: an et quatenus in *praeiudicium posteritatis*, sive *hominum nasciturorum*, cedant? Possimus item de *iuribus nasciturorum imperfectis*, quibus officia parentum in *generatione*, b) et *speciatim matri*, dum *praegnans est*, observanda, respondent, nonnihil sigillatim monere: verum, quoniam

- a) Gravis est quaestio: *an posteri teneantur iureiurando maiorum suorum?* quam, praeter alios, tangit Pufendorfius, *Lib. IV, Cap. II, §. 17.* Nobis, ut pauca hic addamus, distinguendum videtur, inter *iusiurandum ipsum*, et *obligationem principalem*, cui *iusiurandum accedit*. Haec, si ita sit comparata, ut ad posteros transmittatur, sine dubio eosdem aequi stringit, ac maiores suos, qui eius obligationis autores fuerunt. Ast *iurisiurandi religio proprie* non nisi personae inhaeret, quae vel ipsa, vel per alium, iuravit: adeoque si posteri contra pacta et conventiones maiorum suorum, iureiurando firmatas, egerint; perfidi quidem, sed proprie non periuri, dici possunt. Quanquam merito piis mentibus tam sancta, tamque inviolabilis, habeatur iurisiurandi religio, ut etiam in istiusmodi casu gravius sit, fidem iuratam fallere, quam iniuratam.
- b) quo pertinet, quod habet Plutarchus, in *Libro de puerorum educatione, Cap. I, sub finem.*

quoniam haec omnia ex iisdem prorsus fundamentis facile diiudicari possunt; mittimus nunc ea lubentes: praesertim, cum iam *in Praefatione* monuerimus, nos non nisi summa et praecipua hominum nascituro-rum iura velle attingere. Operam tamen dabimus, ut in duabus, quae nunc expedienda restant, *Sectio-nibus specialibus*; quaedam addamus, quae argumento nostro, etiam ex antea memoratis capitibus illustran-do, poterunt inservire.

SECTIO II

DE

IVRE HOMINVM NASCITVR ORVM IN STATV LIBERTATIS.

§. I.

Exposuimus hactenus argumenti nostri principia at-
que fundamenta generalia; et, quae *de Lure Nasci-turorum in universum* dici possunt, indicavimus. Su-pereft, ut nunc paucis ostendamus, quomodo ea spe-ciatim ad *Statum tam Libertatis, quam etiam Civitatis,* queant applicari.

§. II.

De *Libertatis Statu* primum acturis, ante omnia removenda est ambiguitas vocum: non quidem ea, quae in *libertatis* vocabulo occurrit; quatenus illud vel *statum* denotat, vel *ius*; in quo significatu de li-bertate, supra in §o X, actum fuit: sed potius il-la, quam ipsius *Status Libertatis* denominatio in-volvit. **L**IBERTAS enim, pro *Statu* sumta, dupli-cere sensu intelligitur, prout *oppositum* habet *Statum vel civilem, vel servilem* a). Posterior significatio

E 2

maxi-

a) Vtique, si rem ipsam consideremus, libertas non est, nisi uniformis: sed possunt tamen varii libertatis gradus distingui: ita,

maxime J^Ctorum est: quando nimirum *Status hominis civilem* b), h. e. eum, quem in Societate civili, a Iure, seu lege, habet, triplicem esse docent, *Libertatis, Civitatis, et Familiae* c). Tunc enim *Status Libertatis* denotat *eam hominis conditionem*, secundum quam in civitate nemini alii, tanquam servus, subiectus est. Vnde patet, *libertatem* hic considerari tantum in relatione ad *cives eiusdem reipublicae*. Verum de hoc *Statu Libertatis civilis*, seu in sensu Romano accepto, nobis hic non est sermo: sed de *Statu Libertatis naturalis*, quem priore loco nominavimus; et cui *Status civilis* opponi solet.

§. III.

*Quid nobis
hic sit Sta-
tus Liber-
tatis;* Hic igitur *Status Libertatis est inter eos, qui inter
se, absque ullo respectu imperii civilis, aequales sunt;
quales a natura sunt omnes homines* a): quamobrem etiam *Status iste vulgo Naturalis audit*; de quo Pu- fendor-

ita, ut, non abs ratione Hertio ad Pufend. Lib. III, Cap. II, §. 8. libertas quandoque intelligatur in Oppositione ad libertatem. De diversis libertatis gradibus etiam nonnihil habet Hobbesius, de Cive, Cap. IX, §. 9.

- b) Alia est haec notio *Status Civilis*, atque ea, cuius nos mentionem fecimus: quam, nostrum non est, hic pluribus excutere.
- c) Sequor hac in re Magnificum h. t. Academiae Rectorem, dn. Henr. Hildebrand, Antecessorem primarium, Patronum atque Praeceptorem summe venerandum, in *Introductione in Iuris principia*, Lib. I, Part. III, Cap. II, §. 1, p. 64.
- a) Verba sunt dn. Boehmeri, in *Introductionis ad Ius Publicum Universale Part. Gener.* Cap. II, §. 3: quo in loco etiam plura inveniuntur, quae huic pertinent. Conferri quoque hic cumprimis potest Cap. III, *Viae ad Verit. Iurisprud. Natur.* dn. Gundlingi: in quo de *Statu hominum diverso, imprimis Libertatis et Imperii, agitur.*

fendorfius agit, *Lib. II de Offic. Hom. et Civ. Cap. I integro*; itemque *de Iur. Nat. et Gent. Lib. II, Cap. II.* Itaque *naturaliter*, et citra omne factum humanum, omnes etiam in *Statu Libertatis* viverent: et hic est, quem Pufendorfius *absolutum* vocat. Enimvero, post constituta inter homines imperia, status iste, non nisi *temperatus* b), coepit existere: olim quidem *inter familias segreges*; hodie vero *inter Civitates ac Republicas, earumque Rectores*. De quibus adeo hoc loco praecipue agemus, et, quaenam iura in hoc statu nascituris competant, vel non competant, indigitabimus.

§. IV.

De *iuribus connatis* non est, quod hic quicquam addamus. Eadem a natura integris gentibus, quae singulis hominibus, sunt constituta. Quemadmodum enim in universum ii, qui in *Statu Libertatis* vivunt, non alio, quam Naturali Iure, inter se reguntur: ita dubium non est, quin ea, quae in superioribus generatim de *iuribus nascitorum* ex ipsa naturae humanae consideratione deduximus, ad integras etiam gentes, gentiumque moderatores, pertineant. Itaque hic saltet *de Existimatione simplici*, cuius rationes iam supra in *so IX* exposuimus, tribus adhuc verbis monere libet: si v. g. gens aliqua, vel civitas, per atroces iniurias, aliis gentibus promiscue illatas a),

E 3

omnem

*Monita de
iuribus con-
natis: in
specie de Ex-
istimatione
simplici.*

- b) Facile appareat, *temperatum* dici hunc statum, quia in eo viventes alio respectu etiam sunt in aliqua societate civilis: minime vero, ut libertati rerum publicarum in ordine ad se invicem aliquid deesse videatur.
- a) v. g. *piraticam* exercendo, aut *ex raptu et latrociniis* vivendo: quod vitae genus, priscis temporibus, plerisque populorum in usu, quin et in laude positum, fuisse, exemplis

omnem existimationem perdiderit, ac prorsus consumferit; hoc ipsum tamen posteris, ex eadem gente nascituris, fraudi non esse, quo minus cum his pacem atque amicitiam colere oporteat: dummodo ab iuriis ipsi abstineant, aliudque vitae genus magis honestum pacatumque sectentur.

§. V.

*De iuribus
acquisitis; in
specie de Im-
perio.*

Enimvero maioris momenti sunt controversiae, quae de *iuribus* nondum natorum *acquisitis*, et sigillatim de *Imperio*, inter Gentes non minus, quam I. N. scriptores, solent disceptari. Dici enim non potest, quantas, non modo eruditorum lites, sed gentium quoque et regnorum collisiones, quantaque bella, omni aetate, excitarint Regum ac Principum *Successiones*, *Testamenta*, *Renunciations*: in quibus omnibus diiudicandis, consideratio iuris nasciturorum utramque facit paginam. Graviora sunt haec tam illustris argumenta, quam ut intra angustos *Academicae Exercitationis* limites includi, aut pro dignitate sua hoc loco queant pertractari. Neque vero etiam instituti nostri ratio illud postulare videtur. Itaque, cum omnia, quae in hac causa disputantur, a decisione illius quaestione pendeant; *fitne revera nascituris aliquod ius quaesitum in regnis parentum maiorumque suorum?* hanc ipsam quidem paulo curatius hic expendemus: cetera vero, quae per modum *Concessariorum* exinde fluunt, duntaxat summo digito, et quasi per indicem, tetigisse satis erit.

§. VI.

plis ac testimoniis auctorum copiose probat Pufendorfius, *Lib. II, Cap. II, §. 10.* Videri etiam possunt, quae de *latrocinii gentium antiquarum* in *gentes* habet *Ill. DM. Boehmer, in Introd. ad I. P. Univ. Part. Spec. Lib. I, Cap. I, §. 18.*

§. VI.

Certum igitur exploratumque est, non esse *per se* et secundum *Ius naturae absolutum*, nascituris ullum ius, ut in Regnis, qualiacunque ea sint, maioribus suis succedant. Quod enim supra a) de *iuribus acquisitis* in universum demonstravimus; non esse necessarium, ut, quod parentes habent, idem habeant et liberi: illud sine dubio etiam de *Imperio* valere debet. Neque vero hoc dicimus, non posse nascituris ius in Regnis avitis constitui; quin imo iam ostendimus b), eos utique *iurium*, atque adeo *Imperi* quoque, capaces esse: solum negamus, ius istiusmodi ab ipsa natura, citra que omne factum humanum, illis competere. Quemadmodum autem ex superioribus patet, iura acquisita etiam in nondum natos, vel per leges, vel parentum, aliorumve hominum, facta, efficaciter derivari: ita dubium non est, quin iisdem modis nascituri etiam *perfectum ius Imperii* possint acquirere. Itaque, si quando de *Iure Nasciturorum in Statu Libertatis* quaestio incidit; appareat, illud unice dispiciendum esse: utrum, vel ex parentum voluntate, in iis nimirum, quae sunt in plena potestate parentum, vel populi consensu, qui in aliis regnis per leges fundamentales fere exprimitur, ius quoddam nondum natis vere fuerit constitutum?

§. VII.

Et haec quidem generatim poterant sufficere ad ea, quae in praesenti negotio disputari solent, diiudicanda. Verum libet nunc paucis eadem speciatim ad diversas

An et qua tenus nun- dum natis in Successio- ne Regno- rum ius fit qualitatem, generationem ostenditur.

a) in §o XV, Sect. I, pag. 32 et 33.

b) vide, quae in §o VIII, de iure in universum; et in §o XIV, de Dominio in specie, diximus.

De Iure
Nascituror-
um Specia-
tim 1) in
Feudis.

diversas *Imperiorum formas* applicare, et exemplis quibusdam ostendere, quomodo ex his ipsis fundamentis controversiae, super *Principum Successionibus* identem ortae, rationes suas repeatant. Primum igitur constat, nonnullos Reges ac Principes, summosque imperantes, Regna sua, aut Principatus, aut quocunque nomine veniant eorum ditiones, *non iure proprio*, sed *clientelari*, et per modum *Feudi*, possidere. Quorum *Feudorum* etsi non omnium eadem sit indeoles, eademque conditio a): ut plurimum tamen atque regulariter in eo convenient, *quod certae alicui familliae in perpetuum concedantur*. In his ergo, dubium non est, quin omnibus in hac gente postea nascituris, ex ipsa intentione eius, qui *feudum* constituit, perfectum ius sit quae situm b): siquidem primo acquirenti, eiusque successoribus, *feudum* istud sub hac ipsa conditione fuit delatum, ut ad omnes eorum posteros transmittatur. Hinc absque consensu *Domini*, quem vocant, *directi*, nemo eiusmodi *feudum*, neque vivus, neque in eventum mortis, per testamentum c): potest alienare, aut in praeiudicium posteritatis suae eidem renunciare. Quo minus autem *Feuda* usucaioni sint obnoxia; vix est, ut quidquam impedire videatur.

- a) Scilicet in omnibus *feudis* principaliter et primario attendendum est ad pactum seu conventionem *Feudalem*, et primam institutionem: haec enim norma est iurium, quae *Domino Feudi tam Directo, quam Vtili*, competit. Hinc omnino *Feuda* in Iure Naturae generatim non nisi ex natura et indeole pactorum diiudicari possunt.
- b) id quod iam supra p. 32, attigimus, laudantes hanc in rem *Guil. van der Muelen, ad Grotium*.
- c) Ex instituto hoc argumentum tractavit Samuel Stryck, magni nominis quondam ICtus, in peculiari Dissertatione de *Testamentis Vajallorum*.

deatur. Sed enim haec omnia ex principiis Iuris Naturae de Feudis breviter differuimus: nam quid peculiares *feudorum* consuetudines, aut Leges, in huiusmodi causis decernant, non est huius loci *exponere d).*

§. VIII.

Quod vero attinet ad Regna atque Principatus, quos aliquis suo, non clientelae, iure possidet; distinguamus oportet varia eorundem genera, et modos, quibus summum imperium petes Reges ac Principes veluti residet. Constat enim, quosdam imperantes Imperium habere *pleno iure proprietatis*, ita, ut de eodem pro lubitu queant disponere: quosdam vero non nisi *iure velut usufructuario*, quibus eiusmodi facultas de regno libere disponendi non est concessa. Hinc vulgo Regna a I. N. scriptoribus dividuntur in *Patrimonialia*, seu *alienabilia a)*; et *Vsufuctuaria*, sive *Legitima*. Nolumus hic eorum rationes expendere, qui hanc regnorum distinctionem variis de causis impugnant b):

F

satis

a) De *Fendis et Regnis Feudalibus* videri possunt Grotius, Lib. II, Cap. VII, §. 19, 20 et 21; et eius Commentatores, ad hunc locum; in primis Boeclerus, p. 326 et seq.

a) Sunt, qui et *Hereditaria* appellantur; contra receptum loquendi morem, quo alias *hereditaria* regna eadem sunt, quae *successiva*: de quibus postea dicemus. Quo sensu autem regna *patrimonialia* dicantur, & quatenus cum aliis *rebus patrimonialibus* vel convenient, vel ab iis differant; pulchre ostendit DN. Boehmer, in *Introduct. ad I. P. Vtiv. Part. Spec. Lib. I, Cap. III*, §. 35.

b) in quibus, praeter Boeclerum, Osiandrum, & alios, a DN. Gribnero, in *Princ. I. N. Lib. II, Cap. VII*, §. 4, citatos, præcipue est Hornius, *de Civitate, Lib. II, Cap. 10*; multum hac distinctione *Imperantium maiestati detrahi contendens:*

<sup>a) in Regnis
Patrimonialibus.</sup>

satis est, eam in re ipsa habere fundamentum; et exemplis ex historia omnium temporum posse illustrari e). In Regnis igitur Patrimonialibus, h. e. iis, ubi omne ius in imperantem ita est translatum, ut de eo pro arbitrio disponere, idque libere in alium transferre possit; manifestum est, nondum natos, nisi ex parentum voluntate, ius successionis non habere. Obtinet enim hic, quod in privatis hereditatibus; quas, citra parentum factum, ad liberos non pertinere, iterum iterumque monuimus. Proinde ad successionem liberis et posteris, neque dum natis, stabilendam requiritur, ut Imperantes, qui tali modo regna sua possident, ipsis vel testamento, vel alia quacunque ratione, eos sibi successores constituant: quod ubi factum est; nihil licebit populo contra voluntatem Imperantis movere: quin potius hoc in casu testamentis Regum ac Principum non minus, quam cuiusvis privati patrisfamilias, standum esse, ipsa naturalis ratio evincent. Quod si vero Imperans, qui regnum in matrimonio habet, sine testamento, aliave voluntatis suae declaratione, decesserit; tunc utique difficillima oriatur quaestio: *si ne liberis eius, si ne natis, si ne nascituris, ius, ut quasi ab intestato ad successionem regni vocentur; nec ne?* Certe in utramque partem adsumt rationes ita plausibiles, ut verum a fallo vix queas discerne-re. Quamobrem makimus nunc quidem rem in suspenso relinquere, quam praeceperimus de ea iudicium ferre. Postquam interea haec egregie illustrare exemplo

Alexan-

tendens: cuius vero argumenta solide refellit Guil. van der Muelen, *ad Grot. Lib. I, Cap. III, §. 11.*

e) Videantur, quae collegit Grotius, loc. cit. §. 12, et in Annotationibus ad hanc loc. itemque Hertius, in Notis ad Pufendorf. Lib. VII, Cap. VI, §. 14.

Alexandri Magni, qui gentes in Asia devictas sine dubio in patrimonio habebat; cum eas tantum non omnés, absoluta victoria, et sine exceptione, in potestatem suam redegerit. Hic postquam deceperat, relicta coniuge Roxane praegnante; ita tamen, ut moribundus ei se relinquere regnum declararet, qui esset optimus atque dignissimus d). gravissimae inter Duces eius ortae sunt dissensiones, aliis expectandum esse existimantibus, donec Roxane marem, quod sperabant, eniteretur: *huius regnum, Diis approbantibus futurum*; aliis alium regem desiderantibus e). Nos omnino arbitramur, neque *Alexandri M.* e *Bar sine filio*, neque ei, quem *Roxane* postea enixa fuit, successionem amplius necessario debitam fuisse. Cum enim Alexander M. ipse eum sibi successorem destinaverit, qui esset optimus; sane arbitrio Ducum et magnatum permisit, ut regem designarent: qui hac ratione omnino necesse non habebant, ad familiam *Alexandri M.* attendere, quam ipse Rex a successione quodammodo excluserat.

§. IX.

Aliud dicendum est de Iure Nasciturorum in iis Regnis, quae, ut Grotius loquitur a), modum habendi accipiunt ex populi consensu atque voluntate; et in quibus libera alienandi facultas imperanti non est concessa. Haec sunt, quae, prout iam dictum, *Vsfructuaria vulgo, aliis Legitima*, nominari solent:

F 2 DN. Boeh-

- a) Refert hoc, praeter alios multos scriptores, Q. Curtius, Lib. X, de Rebus *Alexandri M.* Cap. V.
- b) Has Macedoniae procerum et Ducum *Alexandri M.* deliberationes mirido, ut solet, scribendi genere expressit idem Curtius Lib. X, Cap. VI.
- c) Lib. II, Cap. VII, §. 12 et alibi.

DN. Boehrner, *loco antea citato*, eadem non patrimonialia, seu non alienabilia, appellare maluit. Quicquid eius sit; notandum, ea non unius esse generis. Quidam enim reges imperium habent cum pleno illud ad posteros transmittendi iure coniunctum: et huiusmodi Regna a Politicis *successiva* et *hereditaria* dicuntur. Quibusdam vero Imperium nonnisi ad dies vitae defertur: et haec *electitia* audiunt; propterea quod, mortuo imperante, populus *per liberam electionem* alium in eius locum substituit. Interdum etiam summa rerum alicui duntaxat ad certum tempus solet deferri, quo elapso, ille ad privatam conditionem revertitur: cuiusmodi imperia *temporaria* possis vocare b). Iam igitur quod attinet ad Regna *successiva* seu *hereditaria*; notum quidem est, non eandem in omnibus esse successionis rationem c): unde etiam a Grotio, et qui eum sequuntur, *succesio in hereditariam, stricte scilicet ita dictam, et linealem*; et haec rursum in *cognaticam* et *agnaticam*, distingui solet.

b) *An detur summum Imperium temporarium?* inter eruditos valde disceptatur. Negat hoc Bodinus, et quidam alii; contra, Grotius, Pufendorfius, et plerique, affirmant: quorum rationes sane graviores sunt, quam ut ab illis discedere queamus. Est tamen hic adhibenda ea cautio, quam Ill. Thomasius, in *Inst. Jurispr. Div. Lib. III, Cap. VI, §. 125*, addit; quem vide.

○ Rarissimus ac plane singularis est succedendi modus, quem apud Arabiae quosdam populos in usu fuisse, ex Strabone refert Hettius, in *Elementis Prudentiae Civilis*, Part. I, Sed. X, §. 8, not. (1) his verbis: *Succedit apud eos in regno, non filius patri, sed qui primus e nobili genere post constitutuu Regem nascitur. Nam simulatque Rex creatus est, omnes nobilium virorum uxores praegnantes conscribuntur, et custodes iis apponuntur, observaturi, quae prima pepererit. Huius filius ex lege assumitur, et ad regni successionem regaliter educatur.*

solet. Verum haec ad institutum nostrum párum vi-dentur facere: possumus enim de omnibus hisce suc-cessionum generibus in universum affirmare, eas ita esse comparatas, ut exinde etiam nondum natis ius in regnis eiusmodi, suo tempore, succedendi oriatur. Res ipsa satis profecto clara est, neque ulla indiget probatio-ne. Saltem quaeritur: *quo sensu hoc ius nondum na-tis competere dicatur?* Hoc ipsum autem vix melius declarare posse videmur, quam verbis S. R. *DN. D. Buddei*, in §o *XVII*, Cap. II, *Dissertationis de Testa-mentis summorum Imperantium*, quae *Eius Selectis Iuris Naturae et Gentium* est inserta. Ibi postquam, (id quod nos etiam supra d) ostendimus,) dixerat, *in omni translatione iuris consensum, seu acceptationem, requiri eius, cui ius acquirendum est;* idem deinceps ad imperantium successionem accommodat. *Eodem modo, inquit, se res in regnis habet. Familia imperans habet ius ad regnum; sed ex consensu populi: ius hoc, qui acceptarunt ex familia imperante, ius iterum, sal-tem invitis, eripi nequit.* Ast infantes nondum nati, [*hoc ipso e*] dum non extiterunt] non potuerunt ius acceptare: ergo non aliud habent ius, quam quod vo-luntate libera populi nititur. Et paulo post: *Interim, inquit, hoc sensu nondum natis ius aliquod tribui pot-est, quod semel ex consensu populi imperium illis desti-natum sit.* *Quod tamen ius saltem est hypotheticum, nisi scilicet populo [pro salute publica regnique com-modum] visum, aliud quid constituere.* Plura apud ipsum Celeberr. Auctorem videantur. Hinc vero iam ne-

F 3

mini

d) in §o *XIV*, *Seçt. I*, p. 29.

e) Verba haec, uncis inclusa, salva veritate poterant abesse: neque enim satis commoda sunt; uti ex iis patet, quae in §§. *VII* et *XV*, *Seçt. I*, monuimus.

mini obscurum esse potest, quid de *Renunciationibus Principum in Regnis successivis* sit sentiendum). Scilicet, si quis, volente et consentiente populo, successioni *pro se et heredibus suis* renunciaverit: renunciatio utique valida est; et posteri eius demum nascituri per hanc parentis renunciationem iure suo quod antea habuerant, prorsus excidunt. Cum enim ius istud nondum natorum, uti dictum, maximè in populi voluntate nitatur; sane hac cessante, cessat etiam ius: et nulla fit iniuria nondum natis; dum inodo populus non sine gravi causa voluntatem mutaverit. Adhaec, cum parentes et sanguine coniuncti fore nondum natorum personam sustineant; consensus eorum aequo validus esse debet in renunciando, quam validus censetur esse in acceptando et acquirendo. Verum haec omnia copiosius disputata fuere inter eos, qui *Successionem Hispanicam post mortem Caroli II. Regis*, quae hic instar omnium exemplorum esse potest, publicis scriptis expenderunt. In quibus praecipue iura et causam AVGVSTAE DOMVS AVSTRIAE longe iustissimam, strenue defendit, quem iam nominavimus, DN. D. Buddeus, in *Dissertatione antea laudata*; itemque in *Vtteriore Disquisitione* de Iure Gentis Austriacae in Regnum Hispaniae, eidem Dissertationi in *Selectis L. N. et G. subiecta*:

quac

f) Obiter hic notamus, Ill. Gundlingum, in *Via ad Verit.* *Inrispr. Nat. Cap. XI*, §. 22; et DN. Fleischerum, in *Instit. I. N.* et *G. Lib. III. Cap. XVII*, §. 21; aliosque plures, distinguere hic inter liberos *iam natos*, et *nascituros*: quae distinctione nobis non simpliciter admitti posse videtur: quoniam, accidente populi consensu, gravibus causis inducti parentes etiam pro heresis *iam natis* valide possunt renunciate, quamdiu isti adhuc sunt impuberes, h. c. ea actate, ut iura sibi delata acceptare nequeant.

quae scripta hic eo magis commemoranda esse duximus; quod in iis plura inveniuntur, quibus ea, quae de Successionibus Regnum hactenus tradidimus, illustrari possunt. Conferri quoque in toto hoc negotio merentur, Grotius, *Lib. II de Iure B. et P. Cap. VII integro*, praefertim in §. 25 et 26; et eius Commentatores, in primis Boeclerus, et Guilielmus van der Muelen, *ad haec loca*. Ceterum ex hoc iure nascitorum in Regnis successivis non solum illud per se fluit, ut, citra consensum populi et familiae imperantis mutuum, nemo extraneus ad successionem regni legitime pervenire queat, quam diu aliquis e familia ista, vel superest, vel saltem extiturus speratur: sed ut inter eos quoque, qui ius in successione habent, omnes alii ab eadem tantisper excludantur; dum spes est, aliquem nasciturum esse, ad quem iam imperio vacante natum ius et successio regni ante alios pertinebat. Hinc adeo in iis regnis, ubi patri proxime succedunt liberi, etiam posthumi ad successionem admitti debent: neque prius de novo rege quicquam legitime statuit populus, quam coniux defuncti, gravida relicta, aut quae saltem talis existimatur, haeredem atque successorem iustum non ediderit. Ita post excessum Alberti II. Imperatoris, et Hungariae Bohemiaeque Regis, merito expectare debuerant Hungari Reginae Elisabethae partum; neque deinceps filium Ladislauum Posthumum a successione ad tempus excludere: siquidem iam ea aetate Hungariae Regnum fuerit hereditarium; quod multis retro saeculis fere perpetuo a parentibus in liberos derivatum fuisse, litarum monumenta testantur.

§. X.

§. X.

4) in Regnis
electiis.

De Regnis *electiis et temporariis*, quorum in *so antecedente* mentionem fecimus, nihil attinet hoc loco monere. In his enim *nascituros*, neque ex parentum voluntate, utpote quibus ius de regno disponendi non est concessum, neque ex consensu populi, quicquam iuris habere, per se manifestum est: nisi quod, ob parentum merita, et res pro salute regni populique incolumitate praeclare gestas, velut *iure imperfecto*, ante alios, ad regni successionem adspirare posse videantur. Cuius rei etiam non raro in *electiis Regnis* rationem habitam fuisse, ex historicis monumentis constat. Ita sane *Germanos*, a primordiis *Regni Germanici*, non facile ab ea familia discessisse novimus, quam semel, faustis auspiciis, regio fastigio admodum verant.

§. XI.

Speciatim
de iure co-
rum, qui
adhuc in
utero sunt.

Ceterum de Iure *Nasciturorum* in Regnis hactenus quidem eo potissimum sensu egimus, quatenus sub hoc nomine omnis Imperantium posteritas notatur. Quis vero dubitet, illa omnia multo magis ad eos pertinere, quos supra a) *nondum natos* appellare maluimus, h. e. eos, qui, in utero licet inclusi, vere iam in rerum natura existunt? Videmus sane, non in Regnis patrimonialibus tantum, et hereditariis b), verum etiam in *electiis* c) nonnunquam ius imperii in illos transferri, qui adhuc intra vilcera materna latent:

a) in *so VI, sect. I*, pag. 13.b) Iura nondum natorum in huiusmodi Regnis paulo ante exemplis illustravimus, in *so VIII et IX*.c) Pertinet huc quodammodo Arabum mos, cuius in nota c) ad *sum IX* mentio fuit iniecta.

tent: ipsaque adeo experientia testatur, eos iuris huius *acquisiti*, non minus atque *connatorum*, si quidem ~~hinc~~^{hinc} species, capaces esse. Singulare huius rei exemplum refert Pufendorfius d), ex *Agathiae Lib. IV de rebus gestis Iustiniani*, Cap. X: Persas, relict a ab Hormisdate uxore praegnante, cum magis prolem masculam utero ferri crederent, imposta utero cidari, embryonem regem pronunciasse, nomineque insignivisse; qui deinde Sapores fuit, rebus gestis celeberrimus. Sic apud Nicephorum Gregoram, *Lib. IX Hist. Byzant. Edit. Basil.* 1562, p. 199, legimus: Andronicum Iuniorem, lethali morbo decubentem, mandasse, ut omnes Romani iurarent, se coniugem ipsius, ut *Dominam*, et, si filius ex ea (erat enim gravida) nasceretur, eundem pro Imperatore, veneraturos esse. In his et similibus exemplis, verum certe ac perfectum Imperii ius in nondum natos collatum fuisse, tam manifestum est, ut neminem de hac re dubitaturum opinemur.

§. XII.

Iam de *VSCAPIONE* in Statu Libertatis pauca supersunt monenda. Quaeri enim solet: *an prae-scriptio, sive, quod idem est a), usucapio, locum habeat inter Gentes liberas, et cives diversarum Rerum publicarum?* et deinde: *utrum eadem ad Imperium quoque pertineat?* Actum ageremus, si haec argumenta copiose vellemus tractare, et varias inter se dissentien-

G tium

De Usuca-pione in-ter gentes liberas: itemque de Praescrip-tione Im-periis.

d) *Lib. VII de I. N. et G. Cap. VII, §. 10.*

a) Non ignoramus, usucaptionem a praescriptione saepius distingui apud ICtos, et quidem non una ratione: verum differen-tia ista non est huius loci; et, quantum ad praesens ne-gotium, vocabula sunt *synonyma*.

tium DD. rationes b) hoc loco excutere. Quod enim ad primam quaestione; praeter Grotium, *Lib. II de I. B. et P. Cap. IV*, et Pufendorfium, *Lib. IV de I. N. et G. Cap. XII*, aliosque, cumprimis otium nobis fecit B. Ioh. Werlhof, in *Acad. Iulia Iur. Can. et Feud. quondam P. P. O.* qui peculiari *Dissertatione c)* erudite ostendit, usucaptionem etiam inter Gentes ac Principes obtinere; argumentis, quae in contrarium afferuntur, solidissime refutatis. Et profecto, si quis ea, quae de usucaptione in statu naturali supra d) diximus, secum reputare voluerit; facillime intelliget, ea vel maxime ad integras gentes, gentiumque rectores, spectare, quos

b) de quibus videatur Pufendorfius, loco statim citando, §. 7 et seq. et Dn. Fleischer, in *Inst. I. N. et G. Lib. II. Cap. X*, §. 39. Nec poenitebit conferre Valentinum Velthem, qui de his quaestionebus in utramque partem, pro more, disputat, in *Introductione ad H. Grotii de I. B. et P. Opus*, p. 692 — 709.

c) Inscribitur haec Dissertatione, Helmstadt 1696 habita: *Vindiciae Grotiani dogmatis de Praescriptione inter Gentes liberas, contra Illustrem Scriptorem Gallicum*, Petrum Puteanum. Hic nimirum, una cum pluribus conterraneis suis, contrariam sententiam adstruere conatus est, peculiari scripto, cui titulus: *Si la Prescription a lieu entre les Princes ouverains?* Eliusd. operibus, s. *Traitez touchant les droits du Roi Très-Crétien*, quae Paris. 1655, et postea Rothomagi 1670, prodierunt, inserto. Facile autem apparet, Gallos fere in gratiam Regis sui ita sensisse; ut haberent, unde vanas eius atque iniustas in Imp. Rom. Germ. et alias prætensiones utcunque possent defendere. Quibus non iniuria opponit Werlhofius; si præscriptio nullo modo inter gentes valere queat ad iura vel stabilienda, vel extingueda; dictu difficile esse, quo iure Gallia, violentis Francorum invasionibus subtingata, supremæ Rom. Caesarum iurisdictioni se subtraxerit.

d) in §o XV, Sect. I.

quos inter , uti iam ab initio huius Sectionis monuimus , libertas illa naturalis etiamnum viget. Eo maior autem in hoc statu est usucaptionis velut necessitas atque utilitas ; quo gravioribus motibus gentium possessiones , quam privatorum , inquietantur : praesertim , cum , recte monente Pufendorfio , l. c. §. 11 , magnam in isthac causarum genere afferat pro iure possessoris [et veteris domini derelictione] praeumptionem , quod quis rem alienam , nemine contradicente , diu posse fuderit . Tanti quippe plerumque sunt momenti negotia isthaec , tamque conspicua in luce geruntur ; ut , si cui quid per iniuriam fuerit ablatum , neque id ipsum diu latere , neque eidem occasio deesse possit , saltem proteftando ius suum sibi reservandi . Nec desunt huius rei exempla , a scriptoribus passim adducta ; inter quae memorabile est , quod ex Sacro Codice affertur , et quidem ex Iudicum Cap. XI , v. 26 : ubi Lephta trecentorum annorum possessionem Ammonitarum Regi , terras quondam suas repetenti , obiicit . Quanquam enim Lephta ad divinam concessionem maxime provocare videatur ; haec ipsa tamen diurnae possessionis obiectionem , -ab eodem Ammonitis factam , non excludit : cum , secundum vulgarem canonem , unius rei plures possint esse causae . Altera quaestio in duas alias resolvitur : an praescriptione imperium in homines possit acquiri ? et contra ; an ius usucaptionis etiam subditis adversus Imperantem profit ? e) Illud quidem omnes facile concedunt : nisi quod Ferd. Vasquius , Ictus Hispanus , Libro II Controv. Illustr. cap. 82 , et quidam alii , in contrariam partem disputatione . Hoc vero a quamplurimis negatur , acerrimeque impugnatur : tametsi , si quid iudicamus , praeter rationem suf-

G 2

ficien-

e) Vtramque quaestionem tangit etiam Grotius , loco ante citato.

ficientem. Certe enim, si ex tacito populi consensu potest acquiri imperium; non appareat, quare illud, versa vice, per tacitam imperantis derelictionem, iterum amitti nequeat: praesertim, cum id per expressum consensum fieri posse, nemo temere negaverit. Nihil igitur difficultatis habet quaestio; si quidem in *Thesi* spectetur: sed enim, quod ad *Hypothesin* attinet; vereor, ut ullus dari queat casus, in quem ista satis apte quadrare videantur. Quod si tamen contingat, ut quidam Rex imperium expresse, aut tacite, derelinquit; ita, ut populus, ipsi alias subiectus, vel in plenam ac perfectam libertatem sese vindicet, vel imperium aliis deferat: posteris illius Regis, seu nascituris, nullam fieri iniuriam, ex iis planum est, quae de *Iure Nasciturorum*, cum generatim supra in *Sectione I*, tum etiam nunc, *speciatim in Statu Libertatis*, monuimus.

SECTIO III

DE

IVRE HOMINVM NASCITVRORVM IN STATV CIVITATIS.

S. I.

Propositio.

R estat tertium, idemque ultimum, *Tractationis* nostra caput: in quo expediendo ita versabimur, ut, quid *de Iuribus Nasciturorum*, a nobis supra generatim expositis, *in Civitate*, tum fieri queat; tum etiam in *Legibus Romanis* maxime, reipsa constitutum sit; paucis indigitemus.

§. II.

*Quid sit ci-
vitas et
Status Ci-
vilis?*

CIVITAS quid sit et *Status Civilis*; non est, quod hic copiose tradamus: cum id ipsum per se satis clarum sit atque evidens, et ab omnibus, tum Politices, tum

tum I. N. scriptoribus perspicue declaratum *a)*). Saltem, quod ab initio proxime antecedentis *Sectionis de Libertatis Statu* monuimus, idem et hoc loco repetimus: non esse nobis hic sermonem tantum, aut primario, de *Statu Civitatis Romanae*, sive eo, quem I^cTi et Romani Iuris Interpretes tractant *b)*; sed de *Statu Civili in genere*, h. e. *in quo considerantur homines, quatenus in civitatem coaluere*, quae in ordine imperantium et subditorum consistit *c)*. Huc adeo etiam *Status Familiaris* quodammodo referri potest: cum, recte monente Ill. Gundlingio, in *Via ad Verit. Iurispr. Nat. C. III, §. 55*, familia, certo sensu, ac servorum respectu absolute parentium, veluti civitas parva merito consideretur.

§. III.

Sunt igitur in CIVITATE imperantes; sunt etiam parentes, sive subditi. De Nascenturis ex ordine Imperantium, in praecedente Sectione egimus: quippe cum Imperantes, quamvis pars sint civitatis, civitati tamen

Iura Nascenturorum in Civitatibus Legum dispositioni sunt obrogaria.

G 3

non

a) Vid. e. g. Grotius, *Lib. I, Cap. I, §. 14*; Pufendorfius, *Lib. VII, Cap. II, §. 13*, qui ex Hobbesio, *de Cive Cap. V, §. 9*, fere definitionem mutuatus est: Dn. Thomasius, in *Inst. Iurispr. Div. Lib. III, Cap. VI, §. 6 et 63*; Dn. Gundling, in *Via ad Verit. Iurispr. Nat. Cap. XXXIV*: et cum primis Hertius, in *Elementis Prudentiae Civilis, Part. I, Sect. II*, ubi de nomine et definitione Civitatis ex professo agit. Evidem descriptiones summorum, quos modo allegavimus, virorum non satis inter se concordant: verum tamen dissensus iste, non tam *essentia*lia et *formam* Civitatis tangit; quam siue, et quaedam acci
dentalia.

b) confer dicta in *§o II, Sect. II.*

c) Verba iterum sunt Ill. Boehmeri, in *Introduct. in I. P. Univ. Part. Gener. Cap. II, §. 8*. Pleniorum Civitatis descriptionem Idem tradit, in *Partis Specialis Libr. I, Cap. III, §. 1*.

non subsint , adeoque , prout supra dictum , in *Statu Naturali temperato* vivant ^{a)} . Itaque hic quidem de iuribus *Nasciturorum* , qui ad parentes , i. e. cives alterius imperio subiectos , pertinent , dispiciemus . Haec autem quin in Civitatibus superioris voluntati Legumque dispositioni sint obnoxia , nemini dubium esse potest . Quemadmodum enim in universum civium actiones et iura , divina lege non determinata , civitatis imperio , et sumimorum imperantium directioni , subiacent ; eatenus , ut ad commune bonum , et publicam felicitatem conservandam augendamve , dirigantur : ita sane *iura nondum natorum* eo magis provide ac sapienter sunt moderanda ; quo facilius exinde salus et tranquillitas publica turbari potest . Quamobrem pro re nata poterunt ista , vel confirmari extendique , vel circumscribi variis modis , vel etiam plane tolli .

§. IV.

De iuribus connatis , et quidem de Existimatione .

Equidem , quod ad *iura hominum nasciturorum connata* , praesertim *perfecta* atque *absoluta* , attinet ; certum est , ea in Civitate imperantium dispositioni non subesse , nisi quatenus per Leges civiles confirmari , sanctionibusque muniri , possunt ac debent : minime vero , ut in praeiudicium eorum quidquam constituantur . Neque enim , aut natura horum iurium istud permittit ; aut finis civitatum , qui est felicitas publica , ordinarie postulare videtur . Ac primo quidem de *Existimatione simplici* non est , quod multa dicamus . Etenim ex iis , quae de hoc iure nondum nato-

a) vide *Sum III, Sect. II, pag. 37.* Scilicet *ius libertatis naturalis* , ex omnimoda aequalitate ortum , inter eos , qui in unam coaluere civitatem , et sic aequalitati renunciarunt , cessat , et in Imperantem transfertur ; vel potius Imperanti soli dispensandum relinquitur : uti pulchre ostendit Dn. Boehmer , loc. cit.

natorum iam supra a) demonstravimus , sua sponte fluit , potestatem imperii civilis ad illud fese non extendere b). Nam , cum *existimatio simplex* in eo potissimum consistat , ut quis pro non indigno societas humanae membro haberi , eaque propter a nemine tanquam hostis tractari debeat : si eandem nondum natis adimendi potestas foret imperantibus ; sequeretur certe , illos , praeter meritum factumque suum , eo misericarum posse redigi , ut ab aliis hominibus impune laedi , neque aequo cum iis iure frui queant : quo fanē nihil absurdius , nihil humano generi perniciosius dici potest. Proinde iniquissimum est , quod aliquando spuriis , et aliis ex damnato legibus concubitu natis , atque ex his porro nascituris , omnis fere *ista existimatio* detrahitur , ipsique tantum non omni iuris favore indigni iudicantur. Quo pertinere videtur Constitutio Iustiniani Imp. in *Nov.* 89 , *cap. ult.* indeque defumta *Authentica Cod. de incestis et inutilibus nuptiis* : *Ex complexu nefario , aut incesto , seu damnato , liberi nec naturales sunt nominandi , omnis paternae substantiae indigni beneficio , vt NEC ALANTVR A PATRE :* cuiusmodi legem a Solone etiam conditam fuisse , ex Diogene Laertio , in *Vita Solonis* , intelligimus. conf. Grotius , *Lib. II, Cap. VII, §. 4.* Si enim legum istarum haec sit sententia , ut eiusmodi liberi prorsus tolli educarique non debeant c); profecto iniustissimae es- sent:

a) in *so IX, Sect. I.*

b) conf. Pufendorf , *de I. N. et G. Lib. VIII, Cap. IV, §. 9.*

c) Videantur , quae pro mollius accipienda Constitutionis modo allatae sententia , contra Anton. Matth. de Criminibus , *Tit. XIX, Cap. 3* , eandem graviter inseparantem , copiose disputat D. Ioh. Georgius Simon , in *Animadversionibus et Notis ad Grotii loc. cit. itemque Vlr. Huberus , in Praelect. ad Inst. Tit. de Success. ab intestato.*

sent: cum hoc pacto isti etiam communi hominum iure atque vita defraudarentur. Quamobrem etiam rigorem istum Iuris Civilis correxit Ius Canonicum, et communis DD. opinio, itemque usus fori. Tolerabilius est, quod plerumque spurii, cum posteris suis, velut *levis notae macula adspersi* existimantur, propter quam a certis quibusdam honoribus ac dignitatibus excludi solent. Id enim ipse textus facer *Deuteronom. XXIII, 2*, non obscure innuere videtur, ubi inter alias Leges Divinas voluntarias haec est: *ut ne in ecclesiam ingrediantur manzeres, sive spurii, usque ad decimam generationem*: quam legem versio B. Lutheri ulterius quoque ad omnem eorum posteritatem extendit.

§. V.

De Vita et Conserva-
tione eo-
rum, qui in
utero sunt. Idem dicendum est de *Vita* nondum natorum, sive *eorum*, qui *adhuc intra viscera materna sunt inclusi*: quorum sane conservatio eo impensius curae cordique esse debet Imperantibus; quo magis reipubl. interest, ut civitas novis subinde auctibus laeta succrescat. Quamobrem non solum gravissime animadvertisendum est in eos, vel eas, qui quaeve partum in ipso utero necant, aut medicamentis abigunt; quin hic quoque ordinariam homicidii poenam locum habere posse existimamus: sed etiam cavendum, ut ne quacunque alia ratione quisquam, in supplementum Civium genitus, patriae intercipiatur. Evidem sci mus, hac de re non ubique satis pro merito sollicitos fuisse legumlatores. Nihil hic dicemus de *partus expositione et nece* veteribus usitissima: quam erudite illustravit Gerardus Noodt, ICtus Belga, singulari Libro, quem **IVLIVM PAVLVM** ipse inscripsit: ex quo immanis huius consuetudinis apud Romanos historiam

riam etiam succincte exhibit Vir Celeb. I.G. Heineccius, in *Syntagma. Antiq. Rom. Iurispr. illustr. ad Institut. Lib. I. Tit. IX, §. 5.* Ita certe in Rep. Romana crimen abacti partus, ante Severi et Antonini Impp. aetatem, legibus moribusque impunitum fuisse ^{a)}, rationibus non spernendis adstruit Gerardus Noodt, in *Julio Paullo, Cap. II.* Postea vero ab his ipsis Imperatoribus rescriptum est : *eam, quae, data opera, abegit, a Praeside in temporale exilium dandam : indignum enim vivi deri posse, impune eam maximum libertatis fraudasse* : uti refert Marcianus, in *L. IV Dig. de extraordinariis crimibus*; et Tryphoninus, in *L. XXXIX D. de Poenis*. Si militer Vlpianus, in *Leg. VIII D. ad L. Corneliam de saceriis*: *Si mulierem visceribus suis vim intulisse, quo partum abigeret, confiterit; eam in exilium praeses provinciae exiget.* Et Paulus ICtus, in *L. 38, §. 5 Dig. de Poenis*: *Qui abortionis, aut amatorium, poculum dant, et si dolo non faciant; tamen, quia mali exempli res est, humiliores in metallum, honestiores in insulam, amissa parte bonorum, RELEGANTVR: quod si eo mulier aut homo perierit; SVMMO SVPLICIO AFFICIVNTVR.* Vnde patet, quare ICti Romani leviore poena coercendam existimaverint *abortus* procreationem: quia scilicet eandem pro homicidio non agnoverunt; quod ex principiis eorum supra b) memoratis profluxit. In qua sententia fere alias etiam gentes fuisse, disquirentes, utrum foetus iam *formatus*; an adhuc *informis*, vivus; an nec dum

H

anima-

a) Hinc scelus illud Romae, inter ipsis quoque matronas, adeo frequens, ut Iuvenalis, in *Satyr. VI, v. 602*, et seqq. illud, tanquam rem in vulgo notam, acriter perstringat: et Seneca, in *Consulat. ad Helviam matrem, Cap. XVI*, matronam hanc ab eo commendet, quod a concepti partus elisione abhorrisset. Namquam, inquit, te fecunditatis tuae, quasi exprobraret aetatem, puduit: namquam more alienarum, quibus omnis commendatio ex forma petitur, tumescensem uterum abscondisti, quasi indecens eras; nec intra viscera tua conceptas spes liberorum elisti,

b) in *Ge VIII, Sec. I.*

animatus , fuerit e) ; ex legibus earum perspicimus . In *Legibus VVISIGOTHORVM*, *Lib. VI*, *Tit. III* de excutientibus partum hominum, *Cap. 2*, haec est : *Si quis mulierem gravidam percusserit quocunque ictu, aut per aliquam occasionem mulierem ingenuam avortare fecerit , et exinde mortua fuerit ; PRO HOMICIDIO PVNIATVR : SI AVTEM TANTVMMODO PARTVS EXCVTIATVR , et mulier in nullo debilitata fuerit — si formatum infantem extinxit , CCL solidos reddat : si vero informem , centum solidos pro facto restituat.* Et in *Legibus BAIIVVARIORVM*, *Tit. VII*, *Cap. 19*: *Si quis mulieri ictu quolibet avorsum fecerit ; si mulier mortua fuerit , TANQVAM HOMICIDA TENEATVR : SI AVTEM TANTVM PARTVS EXTINGVITVR ; si adhuc vivus non fuit , xx sol. componat : si autem iam vivens fuit , weregeldum persolvat , LIII sol. et tremissem. conf. Cap. XXI , eod. Tit. d) ; et Leg. Ripuariorum , Cap. XXXVI , n. 10: itemque Leg. Longobard. Lib. I , Tit. VIII , Cap. 28 , et Tit. IX , cap. 4. In Legis ALAMANNORVM Capitulo XCI distinguitur, utrum partus excussus mas , an femina , fuerit ; et in posteriore casu gravior mulcta imponitur. Non desunt tamen aliae Leges , ad eorum , qui in utero sunt , vitam*

CON-

- e) Hac distinctione utitur etiam Aristoteles, *Polit. Lib. VII*, c. 16 ; ubi tradit, definitum debere esse in civitate procreandorum liberorum numerum . Si quibus auctem aliquid fuerit praesterea genitum, abortionem faciendam, antequam vivere et sentire coeperit fetus , *την αὐθαίρετην εγγύτηδαι καὶ σωτήρ. Quatenus enim progredi fas, aut nefas sit ; sensu ac vita terminari. Quae sententia rationi plane adversatur, et minime omnium est ferenda.*
- D) Quas leges tamen postea mutatas fuisse appareat : siquidem iis, loc. cit. alia subiicitur , quae statuit ; ut, si avorsum fecerit, in primis XII sol. cogatur exsolvere : deinde ipse et posteri sui per singulos annos , i. e. autumnos singulos solid. usque in septimam propinquitatem de patre in filio : et si neglectum unius anni fecerint, tunc iterum XII sol. solvere cogantur, et deinceps ordine praefato, donec series rationabilis impleatur. Cuius sanctionis ex principio Christianae religionis haec minus orthodoxa assertur ratio : quod diuturnam, postquam incarnationem suscepit anima, quamvis ad nativitatis lucem minime pervenisset, patiatur poena: quia sine sacramento regenerationis abortivo modo tradita est ad inferos.

conservandam vindicandamve melius attemperatae. Ita in *Leg. Wisigoth. l. c. Cap. I*, decernitur; ut, si quis mulieri praegnanti potionem ad avorsum, aut pro necando infante, dederit; OCCIDATVR: et Lex VII ibid. iubet; ut, seu libera, seu ancilla, natum filium filiamve necaverit; sive adhuc in utero habens, aut potionem ad avorsum acceperit, aut alio quocunque modo extinguere partum suum praesumferit; mox provinciae index — non solum operatricem criminis huius PVBLICA MORTE CONDEMNET; aut si vitae reservare voluerit, omnem visionem oculorum eius non moretur extinguere: sed etiam, si maritum eius talia iussisse, vel permisisse, patuerit; eundem etiam vindictae simili subdere non recuset. Item Cicero, in *Orat. pro A. Cluentio*: Memoria teneo, ait, Milesiam quandam mulierem, cum essem in Asia, quod, ab heredibus secundis accepta pecunia, partum sibi ipsa medicamentis abegisset, REI CAPITALIS ESSE DAMNATAM: neque iniuria, addit, quae spem parentia, memoriam nominis, subsidium generis, heredem familliae, designatum reip. ciuem, sustulisset. Huc etiam pertinet Lex Divina forenls, *Exod. XXI, v. 22 et seqq.e.* Porro in favorem hominum nondum natorum in LL. Romanis sapienter constitutum est; ut supplicia praeognantium differantur, donec pepererint f). Ita enim

H 2

Vlpia-

- e) Anceps quidem est, utrum, quod in hac lege de morte post abortionem secura dicitur, ad feminam, quod putat Iosephus; an ad partum, speget? quod Philoni videtur. Nos, cum aliis vir's praeclaris, iisdemque partim Theologis, arbitramur, verba ista, cum ad mulierem, tum ad foetum, referenda esse. Interim vid. Seldenus, *de Iure Nat. et Gent. sec. Hebr. Lib. IV, Cap. I*; et Hoechstetterus, in *Colleg. Pufend. Exercit. X*, §. 7.
- f) Evidem Quintilianus, in *Declem. 277*, ubi hanc legem ad siquum argumentum accommodat: *Interrogo vos, inquit, judices, cuius rei gratia legem caruisse existimat?* illius, qui erat conceptus a nocente femina? Non est credibile, legem prescripsiisse ei, cui rerum natura fortasse non erat lucem: qui an nasci posset, dubium fuit: qui etiam odium ex ea, quae conceperat, merebatur. *Quare ergo scripta lex est?* pro patribus, qui nibil fecerunt. *Iudignum enim viuum est;* etiam mortem meruisse mater, auferri filium innocentis patri. Verum base Oratorio more differuerunt.

Vlpianus, in *Lege III Dig. de Poenis*: *Praegnantis*, ait, mulieris consumendae damnatae poena differtur, quoad pariat. Ego quidem, et ne quaestio de ea habeatur, scio observari, quandiu praegnans est. *conf.* Leg. XVIII D. de *Statu Hominum*; et Confit. Sicul. Lib. I, Tit. XXIII: ubi Fridericus Imp. supplicium feminae praegnantis, usque ad XL dies post partum, prorogari iubet. Idem quoque Atheniensibus atque ipsis Aegyptiis in usu fuisse, monstrat Brisonius, in *Select. ex Iur. Civ. Antiquit. Lib. II, Cap. 20*. Sic etiam rationi summe consentanea est Lex Regia, cuius in *Lege II Dig. de mort. infer. mentio fit*, negantis, mulierem, quae praegnans mortua sit, bumari, antequam partus ei excidatur g). Bene item reteque prohibentur feminae a secundis nuptiis, antequam partum ediderint, aut intra tempus legitimum, celebrandis h): quam in rem hic allegasse sufficiat verba Legis Wisigothorum, Lib. III, Tit. II, Cap. 1. quam idcirco mulierem praecipue huic volumus subiacere dispendio; ne haec, quae a marito gravida relinquitur, dum immoderato desiderio ad secundi coniugii vota festinat, vel adulterium perpetrat, spem partus sui, priusquam nascatur, extinguat. Verum haec diutius non moramur.

§. VI.

De Liber-
tate,

Libertatis alia est ratio; utpote quae inter iura hominis consistente in Civitate locum minime invenit. Neque vero hic de libertate naturali agimus, quae, ut supra dictum, in hoc statu plane cessat: sed de libertate civili, quam in §o II, Sect. II, descripsimus. Nihil igitur vetat, quo minus in civitatibus ii, qui ex servis nascuntur, eiusdem esse conditionis iubeantur: cum enim omne ius libertatis imperantibus in hoc statu dispensandum relictum sit; horum quoque est determinare, quantum ex hoc iure unicuique velint concedere. Interim libertatis etiam civilis non immerito apud omnes pene moratores gentes magnus fuit favor: et libertati hominum nasciturorum in primis sollicite prospexerunt Leges Romanae. Ita enim Imperator, in princ. Inst. de Ingenuis: Sufficit, ait, liberam fuisse matrem eo tempore, quo nascitur [proles] licet ancilla conceperit. Et e contrario, si libera conceperit, deinde ancilla facta pariat; placuit, eum, qui nascitur, liberum nasci: quia non debet calamitas matris ei noce-

re,

g) *Fœtum ex utero matris mortuae mature excindendum esse*, rationibus Theologis, Legalibus, et Medicis, pulchre ostendit Celeberr. DN. D. Heisterus, peculiari *Dissertatione Medico-Porenſi, Altorſi, 1720, babita.*

h) *De conceitu intra tempus legitum extat Dissertatione Georgii Beyeri, magni quondam ICti, quae III est inter Dissertationes Eius et Opuscula, Lipsie, 1723, edita.*

re, qui in ventre est. Ex his illud quaesitum est: si ancilla praegnans manumissa sit, deinde ancilla postea facta pepererit; liberum, an servum, pariat? Et Marcius a) probat, liberum nasci. Sufficit enim ei, qui in utero est, liberam matrem vel medio tempore habuisse, ut liber nascatur: quod et verum est. Scilicet, quia, quotiens dubia interpretatio libertatis est, secundum libertatem respondendum: ut Pomponius scribit, in *Lege XX D. de R. I.* Sic et Hadrianum Imp. rescripsisse, liberam, quae praegnans ultimo suppicio damnata est, liberum parere; Vlpianus auctor est, in *Lege XVIII D. de Statu Hominum.*

§. VII.

Pari modo se res habet cum aliis iuribus civilibus et acquisitis, quae naturaliter non nisi imperfecte nascituris debentur. De quibus iam sigillatim agere, hoc loco supersedemus: quoniam ea, partim a foro nostro videntur esse aliena, partim etiam ab aliis luculent copioseque iam fuerunt exposita. Quo pertinet e.g. Alpb. a Caranza, ICti Hispani, amplissimus *Tradatus de Partu naturali et legitimo*: in quo permulta passim inveniuntur, quae ad hoc argumentum spectant. Ex instituto autem illud pertractavit Ioh. Cusp. Virratb, celebris quondam Ienensium ICtus, in *Traditio Iuridica de Conceptione et Iure Ventris*, Ien. 1648 ventilata: et *Dissertatio de Iure Embryonum*, Praef. Celeb. ICto DN. Christ. Wildvogel, ibid. 1693 habita: ad quae scripta iam brevitatis causa Lectorem remittimus. Etenim iam pene *Academicae Exercitationis* limites excessit haec qualiscunque *Traditio*. Quamobrem nunc filum abrumpentes, coronidis loco tantum exhibemus aequissimam Leg. VII D. de *Statu Hominum*: *Qui in utero est, perinde ac si in rebus humanis esset, custoditur; quoties de comodiis [et iure, prout idem ICtus Paulus ait, in L. 231 D. de V. S.] ipsius partus quaeritur: et Leg. XXVI D. eod. Tit. Qui in utero sunt, in toto pene iure civili intelliguntur in rerum natura esse. Nam et legitimae hereditates his restituuntur; et, si praegnans mulier ab hostibus capta sit, id, quod natum erit, postliminium habet; item patris vel matris conditionem sequitur, etc.* quae leges veluti fundamentum et compendium sunt eorum privilegiorum, quae in iure Romano nascituris indulgentur. De Germanorum, aliarumque gentium, institutis nunc brevitatis causa agere non licet.

*De iuribus
acquisitis
et civili-
bus.*

Epilogus.

T A N T V M .

a) in Leg. V, § 2 et 3, D. de *Statu hominum*: unde hic locus totus est desumus.

PEREXIMIO ET NOBILISSIMO SPIESIO SVO
S. D.

C. G. SCHVVARZIVS, PROF. PVBL.
ORD. PHIL. H. T. QVINCTVM DECANVS.

GRATULOR tibi, amicissime SPIESI, sed tam paucis uerbis, quam animo affectuque prolixo. Cur enim tibi non gratuler, cuius ea modestia uita eaque honestas elucet, ut aliis exemplo esse possis; et cuius tam pertinax est industria, ut perire amne tempus arbitreris, quod optimis artibus scientiisque cognoscendis non impertiaris? Auspicato autem laudabiliterque hunc studiorum Academicorum ordinem es secutus, ut patentissimum illum altioris iurisprudentiae campum non ingredi uolueris, nisi elegantioris literaturae interiorisque philosophiae praefidis antea probe instructus. Hinc iam aliquoties in luce buius coetus literati optime stetisti, et, sumtis inter disputantes, modo defendantis, modo insitiantis, partibus, uim ingenii iudicique tui Patribus eaque ac Ciubibus Academicis eximie approbasti. Nunc autem ex morum et iuris naturae disciplina argumentum non exigui momenti tuo tibi Marte elaborandum ilustrandum que sumisisti. In quo quamuis fortasse quaedam potuissent mutari; malui tamen totius Dissertationis non modo res atque rationes a te allatas, sed et uerba ipsa relinquere illibata: ut et alii uerum integrumque solertiae tuae specimen perspiciant, et tu ipse posthaec non sine animi uoluptate recognoscas, quo usque adhuc in studiis Academicis fueris progressus. Seruet DEVIS optimam hanc, quam tibi dedit, mentem, studiorumque tuorum successus porro fortunet! Sic enim certo futurum est, ut, quod ex animo opto augurorque, laudis curriculum felicissime conficias; neque solum ipse doctrinae ac uirtutis tuae uberes iucundosque capias fructus, charissimisque PARENTIBVS solidum afferas gaudium: sed et INCLVTAE PATRIAE utilern aliquando naues operam, ipsisque melioribus literis ac solidiori iurisprudentiae nouum concilie ornamen-
tum. Vale.

Qui

Qui nondum sunt nati homines, quo iure fruantur;
SPIESI, pérdocte differis e cathedra
Hinc nati natorum, et qui nascentur ab illis,
Decernent meritis praemia digna Tuis.

*Laudis nunquam intermoritrac, quae Nobilissimum
Dn. Respondentem, Amicum et Convictorem
suavissimum, ex hoc aliisque iam redditis vitae
studiorumque speciminibus laudatissimis, man-
sura est, omen sic capit certissimum*

IOH. HENR. MULLER, P.P.

AOnidum in ludis volvisti scripta sophorum:
Sedula nunc studii das documenta Tui.
Ausus sit felix, et **Numen** copta coronet;
Vt videant fructus, patria, rostra, domus.

Gratulabundus
Doctissimo Dno. SPIESIO,
Auditori suo solertissimo
adiecit

IO. DAVID KOELERV, P.P.

Erudi-

* * *

Eruditissime SPIESI!

Quo magis per varias diffundi videris scientias;
 eo melius uni Te praeparas Iurisprudentiae:
 haec enim est
 divinarum atque humanarum rerum notitia,
 iusti atque iniusti scientia.

Litterae humaniores, Historiarum documenta,
 Mathematicae rationes, Philosophicae meditationes,
 gravitate, suavitate, utilitate sua,
 ita Te sibi devinxerunt,
 ut, totus in toto corpore, totus in qualibet parte,
 fuisse videaris.

Quo minus praeceps es progressus;
 eo citius attinges metam.

Sat cito, et sat bene.

Quos praesenti specimine ostendis in Iure divino
 profectus,

in humano mox assequeris.

Ius futurorum hominum spondet,
 brevi *futurum*,

ut, editis elegantissimis ingenii Tui foetibus,
 largissima praemia iure Tuо consequaris.

Auditori aestumatissimo
de iterato specimine gratulaturus
scr.

IAC. WILH. FEVERLINVS, P. P.

